



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, per Casus practicos exposita, nunc quartò ab ipso Authore revisa ... & in 4. Tomulos sic divisa, ut pro libitu in duas aut 4. Partes commodè compingi possit

à Casu XXXVII usque ad Casum LXXV. inclus. exhibens Materiam de Restitutione, de Contractibus, de Religione & Vitiis eidem oppositis

Jansen, Leonard

Coloniæ Agrippinæ, 1752

VD18 13475452-001

Ex Tractatu De Contractibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39820

E X

TRACTATU
DE CONTRACTIBUS
CASUS XLVIII.

De Naturâ Contractuum in genere,
& Conditionibus iis apponi
solitis.

Albanus varios init contractus, querit, an
iis stare teneatur. 1. Quia non habuit
voluntatem se obligandi, 2. Vel contractum im-
plendi, 3. 4. Saltem deliberatam, 5. 6. Quia
contraxit sub onere non impleto, 7. Sub con-
ditione non purificatâ, 8. Sub conditione neces-
sariò futurâ, ibid. impossibili, 9. Turpi. 10.
Vel dubitat, an habuerit intentionem se obli-
gandi, 11. Vel obligavit se solum sub parâ,
12. 13. Quia catena aurea sorori legata, in
testamento vocatur deaurata. 14. Tribus sorori-
bus legati sunt mille aurei, & non constat, an
simul omnibus, vel singulis. 15. Item disjuncti-
vè, domus, vel pecunia. 16. Uni sub con-
ditione virginitatis non subsistente, 17. Alteri
sub conditione, si nupserit, qua Religionem in-
greditur, 18. Tertia si nupserit consanguineo te-
statoris, qui renuit. Pro resolutione

I. QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit Contractus
R. Imò Contractus est consensus liber, & legit-
mus

mus, quo duo, vel plures se invicem, vel saltem una pars se alteri acceptanti obligat.

Dicitur 1. *consensus*, id est voluntas ex-vel implicita se obligandi; explicitè se obligat, qui id verbis, signis, vel scripturâ exprimit; implicitè se obligat, qui vult aliquid cum tali obligatione connexum; sic assumens officium Medici, hoc ipso se obligat ad remedia tutiora, quia ejusmodi obligatio scitur cum officio Medici esse connexa. Dixi: *voluntas obligandi*, nam voluntas implendi contractum non requiritur ad valorem contractûs, quia potest quis validè vendere equum, & se obligare ad eum tradendum, quamvis non intendat tradere, sicut Clericus validè novet castitatem, etsi nolit dimittere concubinam: quod si quis velit contrahere, & tamen se nolit obligare, habet voluntates repugnantes; si primariò velit se non obligare, contractus est nullus; si primariò velit contrahere, secundariò se non obligare, valet contractus, si utrumque æqualiter velit, nec valet contractus, nec inducitur obligatio, quia neutra voluntas prævalet.

Dicitur 2. *consensus liber*. id est, deliberatus 3. deliberatione sufficiente ad mortale peccatum, et excludente errorem, & ignorantiam saltem quoad substantiam, ut dicitur *Cas. seq.*

Dicitur 3. *legitimus*, id est, à Legibus non reprobatus, ut consensus pupilli sine auctoritate Tutoris &c.

Dicitur 4. *quo plures, vel una saltem pars se obligat*, nam alius est contractus onerosus, quo utriusque contrahentium onus, seu obligatio imponitur, v.g. venditio, in qua unus obligatur tradere mercem, alter pretium; alius lucrativus,

K

ia

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II,

in quo una tantum pars obligatur, veluti donatio, promissio gratuita.

- ¶ 2. Contractus dividitur 1. In lucrativum, & onerosum, ut jam dictum est; 2, In nominatum, qui proprium nomen in jure habet, ut emptio, venditio, depositum &c. & innominatum, qui non habet determinatum nomen, cujusmodi quatuor recensentur; *do ut des, de ut facias, facio ut facias, facio ut des*, 3. In pactum nudum & vestitum; Pactum nudum est, quod quidem in conscientia obligat; in foro tamen aeterno ei non conceditur actio, quales sunt contractus innominati, nisi vestiantur stipulatione, juramento, traditione, &c. pactum vestitum vocatur, quod à Legibus confirmatur, etque actio conceditur; ut contractus nominati &c.
4. In absolutum, & conditionatum, de quibus Quæst. seq.

- ¶ QUÆR. II. Quid circa contractus conditionatos, & modificatos?

¶ 1. Contractui persæpè additur conditio, causa, modus, vel demonstratio:

Conditio propriè dicta, est dispositio adjecta contractui, ejus obligationem suspendens in futurum, & communiter exprimitur per particulam *si*, v. g. si cras ad me veneris, dabo tibi novum pileam; dixi: *conditio propriè dicta*, nam concepta in tempus præteritum, non est strictè conditio, neque suspendit valorem actus, sed eum vel statim annullat, si sit falsa, vel statim facit validum, si sit vera.

Causa est ratio, propter quam initur contractus.

Modus est onus adjectum contractui, quod sit honestum & possibile, statim contractus valebit, etiam onere nondum impleto, & ordinariè

imprimis per tō ut v. g. do tibi equum, ut, pro
me eas Romam; si tamen executio oneris sit causa
principalis & motiva, tunc onere non præstito 6.
contractus revocari poterit; secus, si tantum sit
causa impulsiva: *Causa motiva* est, ob quam
hic & nunc ponitur contractus, aliàs non ponen-
tis, *causa impulsiva* est, quæ de se non erat suf-
ficiens ad hic & nunc obrinendum contractum, at-
tamen voluntatem aliundè motam, magis impel-
lit, ut si ad Religionem assumitur, qui creditur
esse dives, ubi divitiæ nec sunt, nec esse debent
causa finalis seu motiva, sunt tamen impulsiva,
quia faciunt, ut libentiùs fiat. Utrum verò mo-
dus, sit causa motiva, vel impulsiva, colligi de-
bet ex verbis disponentis, vel attendi debet, an
modus adjiciatur in favorem disponentis, vel non;
si primum, tunc modus censetur esse causa motiva
& principalis v. g. lego Titia 100. ut nubat filio
meo; si modus tantum sit in favorem accipientis,
ut dono Titia 100. ut emat sibi togam, modus est
accidentalis, & valet donatio, etiamsi Titia to-
gam non emat.

Demonstratio est qualitas in contractu expressa,
per quam determinatur, vel demonstratur res,
de qua, vel persona, cum qua contrahitur: v. g.
vendo tibi equum, qui est luscus, dono tibi præ-
dium, quod est 20. jugerum. lego 100. Petro
catechumeno &c.

§. II. *Conditio adjuncta* potest esse multiplex:
I. de futuro possibili, & honesto, & tunc quidem 7.
suspendit obligationem contractus, uterque ta-
men contrahens ordinariè tenetur expectare
eventum conditionis, purificatâ autem conditio-
ne contractus sit completus, quamvis consensus
non renovetur, nisi in contractu, qui traditio-

ne perficitur, pendente conditione consensus fuisset revocatus. *Sanch. Lug. d. 22. à num. 384. Dicast. l. 2. de iust. tr. 3. d. 1. num. 233.*

2. Si conditio sit necessariò futura, v.g. dabo tibi equum, si Anti-Christus nascatur, non suspendit contractum, sed præsumitur frustrà adjecta, nisi contrahens de adventu dubitasset, tunc enim sortiretur effectum conditionis contingentis; Item non suspenditur valor, si conditio non adjiciatur ut conditio, sed ut temporis designatio, v.g. ducam te, si Pater mortuus fuerit, *S. Th. in 4. d. 29. q. unic. 4. 3. Molin. d. 206. Sanch. de matr. lib. 5. d. 2. num. 1.*

3. *3tio*: Si conditio (idem est de modo) sit impossibilis, & contrahentes consensum suum illi seriò alligârint, contractus est nullus; quia voluntas non potest efficaciter velle obligationem, sub conditione, quam novit esse impossibilem, quia verò non constat, quòd contrahentes intentionem suam alligârint conditioni impossibili; hinc ex præsumptione Juris in Matrimonio, & ultimis voluntatibus, conditio impossibilis habetur pro non adjectâ, ideòque nec valorem contractûs in foro externo impedit, *communis DD. V. Cas. 105. q. 3.*

9. 4. Conditio turpis, id est, inducens ad peccatum, invalidat contractum, ut: dabo tibi 100 aureos, si occidas inimicum, *Ratio est*: quòd non possit esse obligatio ad illicitum: at conditione inhonestâ jam impletâ, dummodo ob laborem, periculum, commodum, delectationem &c. sit pretio æstimabilis, reconvalet contractus, & obligat ad implendum promissum, ex-
cipe

ope contractum Simoniacum, ex quo etiam im-
pleto nulla nascitur obligatio Jure sic statuente in
ordinem Simonix. Covar. Medina. Less. Lug. num
268. Est enim hic quasi duplex contractus, unus,
quo alium obligas ad factum turpe, & hic semper
est nullus, utpotè de objecto illicito; secundus,
quo te, præsupposito turpi facto, obligas ad dan-
dum 100. aureos, quod ex objecto malum non
est, ideoque valet sicut valet votum, quo te ob-
ligas ad statim pœnitendum, si hoc, vel illud pec-
catum admiseris hoc enim votum non obligat ad
peccandum, sed ad pœnitendum supposito peccato.
In Matrimonio & ultimis voluntatibus conditio
turpis, quæ non est contrà substantiam Matrimonii,
in jure habetur pro non adjectâ, quare, si pro-
bati non possit, quòd fuerit seria voluntas non
dandi consensum, nisi sub conditione turpi, Ma-
trimonium, & testamentum reputatur validum.
Sanch. Lug. l. cit. Ex his præmissis

Ad Casum 10. I. Titium non excusat, quòd 10.
non habuerit voluntatem implendi contractum,
sufficit enim ad valorem voluntas se obligandi,
& quamvis non sciat, aut fortè dubitet, vel non
recordetur, an voluntatem se obligandi habuerit,
si tamen verba, vel alia signa externa, obligatio-
nem significantia, adfuerint, præsumitur volun-
tas interna adfuisse, nisi doceatur contrarium.

2. De contractibus conditionatis satis dictum
est num 5.

3. Contractibus ex consensu contrahentium 11.
sæpè apponitur pœna, quæ ideo vocatur conven-
tionalis, & solvi debet ab illo, qui culpabiliter
non servat contractum, culpa autem & mora de-
bet esse notabilis, ut incurratur pœna gravis; de-
beturque ante sententiam Judicis, si exigatur, si

K 3 non



non exigitur, censetur remitti. *Covarr. Suar. l. 7. de leg. c. 6. num. 8. Lugo num. 406. contra Nav. Vasq. Sanch.* qui probabiliter dicunt, pœnam non deberi ante Judicis sententiam etiam parte petente. *Ratio* nostra est: quod hæc videatur esse mens contractuentium, ut talis pœna non ex arbitrio Judicis, qui sine molestiâ, & sumptibus plerumque adiri non potest, sed ad petitionem compartis exsolvatur. An verò & qualiter in mutuo, & sponsalibus pœna apponi possit, dicetur suis locis.

12. 4. Si demonstratio contractui adjecta, erret circa substantiam, vel motivum principale, contractus est nullus, v. g. dono centum aureos, Titio consanguineo meo; lego Joanni centum aureos, quos mihi debet; si Titius non sit consanguineus, & Joannes nihil debeat, non valet donatio; vel legatum; si verò demonstratio erret circa accidens, v. g. do Titio anulum aureum, qui est in scrinio A, cum sit in scrinio B, vel alibi; lego catenam inauratam, hunc agrum, qui est 100. jugerum, valet donatio & legatum, quamvis catena sit aurea, & ager habeat jugera 150. colligitur ex *L. falsa 33. L. quibus diebus. §. qui dicitalem de condit. & demonst. Vasq. Molin. d. 211. Gomez. 1. var. c. 12. num. 74. Rebell lib. 17. num. 2. Reiffenst. l. 3. decret. t. 26. à num. 660. Ratio est, quod testator demonstrans, & donans rem ipsam, præsumatur etiam illum excessum donare voluisse, quamdiu de oppositâ ejus voluntate constare non potest; voluit enim donatario, vel legatario favere & favores sunt ampliandi; quare Titius tutâ conscientiâ, anulum, catenam, & agrum retinere potest; aliud est in contractibus onerosis, ubi notabilem inæqualitatem pretii, contractus vitaretur, quia præsumi non posset, quod quis v. g.*

rendere voluerit catenam auream pro deaurata, 150, jugera pro 100.

Dices: In casu posito est error in substantiâ, 13. nam testator putat, & dicit se legare catenam deauratam & verè legat auream; Conf. Si Petro de gemmam, putans esse crystallum, item pauperium aureum, putans esse cupreum, error vitiat contractum, & datum repetere possum, ergo & hîc à pari. g. N. Aff. Nam error hunc contractum non afficit, quia testator præsumitur efficaciter velle dare rem, quam demonstrat, quamvis fortè sit pretiosior, quàm ipse judicet. Ad Conf. N. C. Nam certus sum de intentione meâ, quòd nunquam intenderim dare gemmam, aut nummum aureum; econtrâ post mortem testatoris de ejus intentione certò constare non potest, & tamen rem ipsam designavit; ideo jura in materia favorabili præsumunt, quòd rem simpliciter legare voluerit, qualiscunque esset, nisi aliundè contrarium monstretur; idem est in aliis contractibus gratuitis, in quibus res ipsa designata est, & de voluntate contrariâ constare non potest.

5. Si tribus sororibus mille Imperiales legati 14. sint, & non constet ex circumstantiis, an singulis mille, an mille in tres partes dividendi, magis favendum est debitori seu hæredi, quàm creditoris seu legatario; nam in obscuris quod minimum est, sequimur. R. 7. 30 in 6; quare hæres satisfaciet dando unum mille, in toto pro tribus.

6. Si legetur disjunctivè, domus, vel pecunia 15. sorores, in quarum favorem legatum fit, habent electionem, & si unum petiit, debetur illis alterum, quia hæc videtur esse voluntas testatoris, qui in majorem securitatem utrumque disjunctivè legavit.

K 4

7. Si

16. 7. Si Cajæ quid legetur sub conditione virginitatis, Caja poterit legatum acceptare, si communiter habeatur pro virgine, quamvis occultè sit corrupta; *Ratio* est; quod mens legantis non sit, eam obligare ad manifestandum crimen occultum, repudiando legatum.
17. 8. Si quis sic disponat: relinquo Cajæ, si nupserit, mille; valet legatum, & Cajæ debentur mille, etiamsi religionem ingrediatur, quia Religio æquivalet nuptiis, neque debet propter hoc excludi, alioquin foret conditio turpis; quæ habetur pro non adjecta; sed de his latius infra.
18. 9. Si mille relinquuntur puellæ, ut nubat consanguineo relinquentis, modus videtur esse causa finalis, ideòque nolenti consanguineo nubere, nihil solvendum est, si verò non per ipsam steterit, sed per illum, cui nubere debebat, habetur modus pro impleto. *Molin. d. 228. § 206*, ubi idem docet de legato, & hæreditate sub conditione. *Sà V. legatum num. 37. Rebel. q. 12. num. 6*. In dubio, an causa vel demonstratio sit circa accidens; an circa substantiam, præsumitur esse circa accidens, nisi ex circumstantiis aliud colligi possit, quia in dubio standum est pro valore actûs.

Gomez sup. n. 73.

Dicast. n. 196.



CASUS XLIX.

De Contractu inito ex errore,
& metu.

Cajus emit sceram, & vinum Rhenanum, putans esse Mosellanum. 13. Causam suam committit Advocato, quem falso putat esse verum. 14. Metu perdenda litis ei filiam suam promittit, ibi Titium existimans esse suum cognatum, & filiam suam contra stupratorem dedidisse in filium adoptat. 15. Qui cum filia flagitio deprehensus, timens à domo ejici, vel infamari ei promittit Matrimonium. 16. Theophrastus super his consultus dicit omnes hos contractus valere, tum, quia error, si quis intercurrit, non vincibilis. 17. Et quamvis contractus ab initio errore fortè non fuisset initus, tamen error non fuit circa substantiam. 18. Tum, quia metus, qui adfuit, fuit levis. 9. Vel à tertio, non in ordine ad contractum, incussus. 6. Et in dubio standum est pro valore actus. 19. Pro Resolutione.

QUÆR. I Quid circa Contractus ex errore initos?

Sequent. 1. Error in contractu potest esse vel circa substantiam, ut si emas vitrum, putans esse gemmam; vel circa accidens; si emas equum decennem, quem putabas esse quinquennem; si error oriatur ex propriâ errantis opinione, vocatur propriè error, si ex alterius inductione, dicitur dolus; uterque potest esse antecedens, vel

tantum concomitans, seu incidens, antecedens est, qui dat causam contractui, concomitans, vel incidens, qui non dat causam contractui, eò quòd, sine ipso contractus initus fuerit.

2. 2. Error vel dolus circa substantiam, id est, circa materiam, causam, vel motivum primarium intentum, sive antecedens sit, sive concomitans, invalidat contractum; ut si pro vino tibi quis vendat siceram, pro auro cuprum, est comm. & constat ex *L. labeo 45. ff. de contrah. empt.* ubi dicitur nullam esse venditionem, si vendatur aurichalcum pro auro: Ratio est; quia error circa substantiam facit non cognosci substantiam, per consequens impedit consensum in substantiam, qui est de essentia contractus.
3. 3. Error circa accidens, etsi sit antecedens, & causatus ex malitia alterius contrahentis, non obstat valori contractus, neque ex jure naturæ, quia non impedit cognitionem, & consensum in substantiam; neque ex jure positivo, quia decepto ex tali contractu conceditur jus & actio contra deceptorem, quâ compelli potest ad servandum contractum damno compensato, si innocens velit. §. 1. *Instit. de except. Sotus Molina. Sanch. Laym. hic c. 5. num. 6.* Et si quæ jura dicant, ejusmodi contractum esse irritum, volunt esse irritum quoad effectum, hoc est, ab innocente rescindibilem; non quoad substantiam. Undè valet, si emas equum decennem putans eum quinquennem, vinum Rhenanum putans esse Mosellanum; si tamen accidens, vel qualitas inest se ex parte motivi vel materiæ primario intentæ, tunc accidens transit in substantiam, v. g. color respectu panni est accidens, si tamen emat

pannum nigrum ad luctum, & substituatür ru-
ber, accidens transibit in substantiam, & annul-
labit contractum, quia primariò intendebatur,
pannus aptus ad luctum, qualis non est pannus
ruber; item si dem eleëmofynam Petro diviti,
putans me dare Paulo pauperi, error afficit sub-
stantiam, quia motivum principale erat sublevare
pauperem, qualis non erat Petrus, *Sanch. Molin.*
Nov. Laym. n. 3.

4. Dolus antecedens circa accidens, causatus 5.
ab altero contrahente, quamvis non invalidet
contractum, facit tamen eum pro libitu illius,
qui dolum passus est, rescindibilem. *L. si dolo 5.*
de rescind. vendit. Less l. 2. c. 17. d. 5. num. 25.
Alao de contr. d. 2. punct. 5. num. 19. Ratio est:
quod per contractum dolo obtentum comparti fit
injuria, quæ in specie reparari non potest, nisi
injuriatus reponatur ad statum, in quo erat ante
dolum; atque hoc fieri non potest sine rescissione
contractus; ergo. Quod si error accidentalis non
est ex culpâ compartis, sed ex dolo tertii, vel ex
propria contrahentis ignorantia, ut si ex tuâ im-
peritiâ, vel ex dolo Petri consilio, a Paulo
omas vinum novum, putans esse vetus, contra-
ctus non erit rescindibilis, sed habes actionem
quantum minoris contra venditorem, hoc est, po-
tes petere, ut contractus reducatur ad æqualita-
tem; item potes convenire Petrum ratione doli
mali, si talis intervenerit. *cit. L. si dolo. Ratio est;*
quod sit consensus in substantiam, & venditor ti-
bi non fecerit injuriam, ergo non est, cur con-
tractum rescindere possis.

S. dicas 1. Per errorem à tertio causatum nota- 6.
biliter mutatur, & vitiatur materiâ contractus,
v. g. in casu posito vinum, ergo damnum
pas-

passus potest contractum rescindere, sicut sponsus potest rescindere sponsalia, si notabiliter vitietur sponsa, quamvis non ex dolo sponsi.

2. Metus injustus etiam à tertio in ordine ad contractum incussus, facit contractum rescindibilem, ut infra dicitur, ergo & dolus.

3. ad 1. N. C. illud damnum sufficienter reparari potest per actionem quanti minoris, quod non semper tenet in sponsalibus, in quibus etiam major libertas requiritur propter difficultatem, & indissolubilitatem matrimonii.

Ad 2. iterum N. C. leges ita statuunt de dolo, non de metu, nec Legum semper petenda est ratio L. 20. § 21 de leg. Ratio congruentiae esse potest, quòd dolus per circumspectionem caveri possit, non ita metus.

7. QUÆR II. Quid sit metus, & qualiter vitiet contractum? 3. Metus est animi trepidatio ob apprehensum instans malum, si oriatur ex causa naturali, v. g. timeo mortem à morbo, à bestia, à tempestate, vocatur metus intrinsecus; si incutitur ab homine, vel causâ liberâ, vocatur extrinsecus: duas hîc accipe regulas, ex quibus cetera facile deduces.

Prima: nullus metus intrinsecus vel extrinsecus justè incussus invalidat contractum, aut facit rescindibilem: Ratio est; quia metus relinquit actum simpliciter voluntarium, & in metu intrinseco, vel extrinseco justo nulla intervenit injuria, ergo non est ratio, cur contractus ex tali metu initus, sit invalidus, aut rescindibilis; sic valent vota metu naufragii, lethalis morbi, vel alterius mali facta, item valent sponsalia à stupratore inita ex metu, ne denuntietur judici.

Regula 2da: *metus injustus gravis in ordine ad* 8.

exorquendum contractum incussus, non quidem invalidat contractum (si matrimonium, Professionem Religiosam, & paucos alios excipias,) facit tamen eum rescindibilem ob injuriam, quæ per talem metum causatur: prima pars est contra Molin. Rebel. Sporer, &c. qui dicunt ejusmodi contractus esse ex jure naturæ nullos, quia ex actione injuriosa non potest quis sibi acquirere jus; sed contra est: metus non facit contractum simpliciter involuntarium, ergo non tollit consensum vel aliquid aliud de jure naturæ ad valorem contractûs requisitum, neque metum incuriens acquirit jus ex iniquâ suâ actione, sed ex voluntario alterius consensu. Sylvius, Gabriel. Nav. Vasq. Sotus. Suar. Less. Lopez. Sanchez de matr. lib. 4. d. 8. num. 4. Laym. de matr. d. 22. num. 115. Metzger. tr. 13. d. 4. a. 3. Herman. thes. 20. Viva opusc. 1. q. 6. a. 1. Secunda pars etiam probatur, quia jura de his contractibus loquuntur ut validis, qui irritatione, seu rescissione indigeant. L. si mulier 21. ff. de eo quod metus causa instit. de except. Sanchez. Less. Lugo cit.

Dixi. 1. *metus gravis, id est talis, qui vehementer conturbat, nec facile superari potest, id est vel simpliciter respectu omnium personarum, vel si instet grave malum, etiam viro forti meritò vitandum, v. g. mutilatio, incarceratio, mors &c. vel saltem gravis respectu talis personæ v. g. 9. perire, mulierculæ, aut senis. Quod si metus injustè incussus in ordine ad contractum, tantum sit in foro interno, contractus in foro externo nequidem erit rescindibilis, quia jura metum levem pro nihilo reputant; idem pro foro interno conscientie docet Medina, Pontius, Tambur, &c. quia metus*

tus

tus levis facillè repelli potest, ideòque qui non repellit, voluntariè metum patitur, volenti autem non fit injuria, nec contractus censetur factus ex metu sed ex propriâ voluntate, quâ noluit metum levem repellere, oppositum tamen videtur probabilius cum *Less. Sanch. c. 10. num. 3. Nav. c. 17. num. 15. Laym. num. 4. Dicast. l. 2. de just. t. 3. d. 1. num. 110. Sporer tr. 5. c. 12. n. 124. Metzger. n. 7. Viva. a. 3. consentit Lugo num. 138.* si metus sit unicum motivum, vel causa principalis consensûs. *Ratio est;* quòd ille metus sit injuriolus comparti; injuria autem hæc reparari non potest, nisi injuriatus per rescissionem, contractus ponatur ad statum pristinum libertatis, ad quem jus habet. *Nec obstat* 1. quòd metus in ratione metus dicitur levis, nam in ratione injuriæ, & damni illati potest esse peccatum grave, sicut si levi verberes frangas vitrum pretiosum; *nec obstat* 2. quòd metus levis facillè possit repelli, nam patiens non obligatur repellere, sed permittere potest eam reservatione sui juris; quis enim dicit calumniatores, detractores à culpâ & onere restituendi honoris & famæ esse liberos; ex hoc, quòd Christus Dominus, vel homo sanctus, suam dehonorationem facillè impedire potuerit, & tamen noluerit. Jam dicta intellige de contractu ex naturâ rescindibili; nam in sententiâ, quòd matrimonium ex metu levi initum valeat, rescindi non poterit, quia semel validum ex naturâ suâ est indissolubile; an autem reipsâ tunc valeat, dicam suo loco.

Dixi 2. incussus in ordine ad extorquendum contractum, sive metus incutiatur ab altero contrahentium, sive à tertio, semper ab eo, qui

metum

metum passus est; rescindi poterit. *L. item 14. §.*
ff. quod metus causâ; si verò metus est, qui-
 dem injustè incussus, non autem in ordine ad
 contractum, sed ad alium finem v. g. sumendam
 vindictam, & metum patiens eligit contractum
 tanquam medium, quo intentatum malum evade-
 re possit, alii affirmant, alii negant, contractum
 esse rescindibilem; videtur autem distinguen-
 dam: si contractus ineatur cum eo, qui metum
 injustè incussit, etsi non in ordine ad contractum,
 rescindi poterit, secùs si cum alio innocente, sic
 si hosti me occidere volenti metu mortis offeram
 100. aureos, donatio rescindi poterit, quia ho-
 stis tenetur ad omne damnum emergens ex injusto
 metu, inter alia autem damna est donatio 100. au-
 reorum: si autem tertio promittam centum, ut
 me in tali periculo defendat, utique valebit pro-
 missio, nec rescindi poterit, etsi facta sit ex metu,
 quia hic nullam mihi fecit injuriam, sed præstitit
 operam mercede dignam. Ex eodem principio
 valida est emptio armorum, vel annonæ facta me-
 tu hostium; validum est mutuum, quod Respub-
 lica suscipit ad dandum litrum hosti pro commi-
 tato incendio; validum est matrimonium, quod
 eligitur tanquam medium ad conciliandum poten-
 tem adversarium, vel quod eligit captivus cum
 hosti custodis carceris, ut ex eo dimittatur. *Sanct.*
Leg. Less. l. c.

Nunc ad Casum §. 1. Emptio siceræ loco vini 12.
 est invalida, quia est error in substantia, quod re-
 net, etiamsi Cajus æquè libenter, & eodem pre-
 tio emisset siceram, si eam cognovisset; *Ratio est*;
 quod ad contractum absolutum requiratur con-
 sensus præsens in hanc materiam, qui jam existat,
 sed

sed hic consensus non existit, sed existeret, si Cajus errorem cognovisset.

13. 2. Quòd Cajus emat vinum Rhenanum putans esse Mosellanum, non invalidat contractum, imò nec facit rescindibilem, nisi dolo venditoris contingerit, sed tantùm habet actionem quanti minoris, quia solùm est error circa accidens, excipe, nisi ratio Mosellanici sit primariò ab emente intenta; ut si aliud vinum in patria sua vendere non posset, tunc enim accidens transiret in substantiam.
14. 3. Conductio Advocati, quem Cajus falso putabat esse peritum, est nulla; quia primariò hìc non intenditur persona, sed ejus peritia, quæ non est; quòd verò Cajus metu perendæ litis Advocato promittat filiam, vel ita intelligitur, ut Advocatus hunc metum per suam delictam, vel tardiozem operam Cajo injustè incullerit, etsi non in ordine ad hanc promissionem, tunc promissio rescindi poterit juxta dicta n. 11. vel Cajus spontè hanc promissionem concepit ad ad acuendam Advocati diligentiam, & firma erit promissio.
15. 4. Adoptatio Titii in filium, qui falso creditur esse cognatus, est nulla, si cognatio est ratio primaria adoptandi, si verò primaria ratio adoptandi, est, quia eripuit filiam à stupro, & hæc ratio vera sit, adoptio subsistit; si utrumque motivum de se erat sufficiens, & adæquatum, ut ut quodlibet movisset altero absente, valet adoptio, dummodò unum è duobus, qualecunque illud sit, existat.
16. 5. Titius iniens sponsalia ex metu, nè ob crimen è domo ejiciatur, validè init, quia est metu justus; quòd ad timorem infamiæ, distinguetur

dam est; vel enim ille à Cajo, aut alio injustè incurritur in ordine ad extorquenda à Titio sponsalia, tunc infirma erunt sponsalia: vel infamia timetur ab ipso crimine, & valebunt sponsalia, quia metus est intrinsecus.

6. Error circa substantiam, quamvis sit vincibilis, invalidat contractum; nam quamvis poterit quis cognoscere, si tamen de facto non cognovit substantiam, etiam non consentit in substantiam, sinè tali autem consensu contractus est nullus.

Dices: ignorantia vincibilis non excusat à peccato, ergo nec ab obligatione contractûs. *Conf.* quia sic dabitur ansa innumeris mendaciis, & litibus; nam facilè quis dicet, se ignorasse substantiam contractûs. *R. N. C.* ignorantia vincibilis excusat à peccato, cujus malitia ignoratur; non autem à peccato ignorantiae affectatae, vel neglectae scientiae; simili modo excusat ignorantia ab obligatione contractûs, cujus substantia non cognoscitur. *ad Conf. R.* Tali asserto in foro externo non creditur, nisi proberur.

7. Non obstat valori contractûs, quòd non fuerit initus, si qualitas fuisset cognita; nam incertanum sequitur, quòd positâ cognitone qualitatis, futura fuisset volitio, quæ impedivisset obligationem, non autem, quòd nunc fuerit, aut nunc impediat, nisi qualitas redundet in substantiam. *Vasq. Valent. Sanch. l. 4. in Decal. c. 2 à num. 6.*

8. De metu satis dixi à n. 7. quibus adde: si Titium in crimine deprehensum, fictè mineris accusare, & hic det aliquid eo sine, ut non accusatus, datum retinere potes, quia metus est justus. *Nec obstat;* quòd det ex errore, certò non datur.

L

RUS,

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom II.

rus, si sciret tibi non esse serium; nam error non est circa substantiam vel causam finalem, ideo enim dat, ut resignes juri ad accusandum, atque hoc verè facis, etsi seriò non intenderis accusare, ergo *Sanch. Less. Dicast. n. 119.*

19. 9. In dubio, an error fuerit substantialis, an causa, quæ nunc cessat, fuerit principaliter motiva, jura volunt. præsumi pro valore actus, et videtur pro eo esse possessio, quia scitur esse factus; & ignoratur ejus invaliditas. *Sanch. m. 1. 34. § 2.* Idem à potiori est dicendum, si dabitur, an intervenerit dolus, error vel metus, quia facta, & delicta non præsumuntur; in dubio an verè consenseris in obligationem, si tenebaris consentire, aut verba tua significarunt obligationem; præsumeris verè consensisse, quia nemo censetur consensum injustè subtrahere, aut loqui aliter, quàm sentiat.

C A S U S L.

De iis, qui contrahere possunt, item de materiâ contractuum, & juramento contractibus apponi solito.

CAmillus in infantiâ. 2. 4. Ante, & post pubertatem sine autoritate Tutoris. 5. Quem agnoscere non vult. 3. Varios celebrat contractus, et post cum licentiâ Tutoris omnes, etiam rerum alienarum, ratificat. Ibid. Et cum ipso Tutore iniuriâ Onerosos, etsi juratos. 13. Implere non vult, petens restitutionem in integrum. 8. Et relaxatur

juramenti à suo Episcopo, vel Principe. 17. & seqq.
Pro resol.

QUÆR. I. Quænam sint personæ habiles ad I.
contrahendum? R. 1. De jure naturæ contrahe-
re possunt omnes, quotquot habent plenum ra-
tionis usum, & materiam, de quâ contrahant;
defectu rationis invalidè contrahunt ebrii, dor-
mientes, fatui, furiosi &c. Ratio est: quod ad
contractum utpote actum humanum in conscien-
tiâ obligantem, requiratur consensus liber, qualem
mentis habere non possunt.

R. 2. Jure positivo contrahere prohibentur 2.
infantes, impuberes, minores, filii familias,
prodigi, juxta sequentes explicationes:

1. In jure tam femellæ, quàm masculi usque
ad septimum annum dicuntur infantes; abhinc
masculi usque ad 14. femellæ ad 12. dicuntur
impuberes, quod si impuberes per mortem pa-
tris, vel emancipationem deserint esse sub patriâ
potestate, vocantur pupilli, si utroque parente
careant, vocantur orphani: deinde illud tem-
pus, quod ab anno septimo currit usque ad pu-
bertatem, à Juristis dividitur in duas partes, in
quartam primâ, dicuntur infantia proximi, in se-
cundâ, pubertati proximi, & ita masculus ante
completum decimum cum dimidio, & femellæ
ante completum nonum cum dimidio, dicuntur
infantia proximi; abindè usque ad annum puber-
tatis pubertati proximi; quâ completâ vocantur
puberes, & tunc usque ad 25. minores: Pupillis
etiam invitis, datur Tutor, minoribus volenti-
bus Curator, quandòque etiam nolentibus in
ordine ad lites, qui Curator semel acceptatus, 3.
repudiari non potest usque ad annum 25. com-
pletum, nisi veniam ætatis, id est liberam rerum
sua-



suarum administrationem à legitimo Superiore obtinuerint; prodigo etiam invito datur curator; prodigus autem dicitur, qui profuse dat, seu ait *Ulpin. l. 1. ff. de curat. furios.* qui neque tempus, neque finem expensarum habet, sed bona sua dilacerando profundit.

4. 2. Contractus ab infante, vel infantiae proximo initus, est planè nullus, adeò ut nec obligationem civilem in foro externo, seu actionem in iudicio, nec obligationem naturalem in foro conscientiae pariat. *L. pupillus ff. de condit. et debiti Laym. hic c. 9. num. 8. Onnat. d. 4. num. 18. Lug. d. 22. num. 283.* Ratio est: quòd jus positivum illorum consensus irrita, infans enim, & infantiae proximus non multum à furioso distant. §. 10. *inst. de inut. stipul.* Si dicas: Leges hae fundantur in praesumptione, quòd infans & infantiae proximus careant pleno usu rationis; ergo si à parte rei hoc usu non careant, sed malitià suppleat aetatem, saltem tunc obligabuntur in conscientia, quia si praesumptio sit falsa, lex in ea fundata cessat. R. Hae Leges non fundantur in praesumptione defectus rationis in hoc vel illo particulari casu; sed ideo irritant ejusmodi contractus, quia plerumque solet contingere, quòd in tali aetate soleat deficere perfecta ratio, quod verum est, nec ideo cessat lex universalis, si ratio legis deficiat in particulari casu.

5. 3. Pupillus pubertati proximus sine auctoritate Tutoris contrahens, non obligatur civiliter, bene tamen naturaliter. *L. 25. §. 1. ff. quanta dies legari, & L. 1. ff. de novat. Less. Reg. Sanch. de matr. d. 38. num. 3.* Excipe contractus majoris momenti, quibus alienantur immobilia vel mobilia pretiosa, quae servando servari, id est

per triennium conservari possunt; tunc enim
quavis adsit consensus Tutoris, pupillus nequi-
tatem naturaliter, seu in conscientia obligabitur,
quia jura utriusque; & Tutoris, & pupilli consen-
sum annullant. *L. 7. 11. 15. Cod. de pradiis.*
Rebell. Less. Molin. 10. 1. d. 224. Dicast. num. 6.

77. idem est, si pupillus contrahat cum Tuto-
re, tunc enim ad nihil tenebitur, nisi in quan-
tum factus est ditor, aut si dolum commiserit,
dixi: pupillus sine autoritate Tutoris contra-
hens non obligatur civiliter; nam si contractus sit
in suum commodum, alterum contrahentem (nisi
etiam hic sit pupillus) & civiliter, & naturaliter
sibi obligat, ita statuitur in favorem pupilli *L.*
Julianus 13. ff. de act. empt. in rebus tamen, quæ
ut in quotidiano usu, si pupillus quid expendat,
comet, &c. saltem ex consuetudine obligabitur
etiam civiliter stare contractui.

4. Filii familias impuberes non obligantur ci- 7.
viliiter ullo contractu circa quæcunque bona, eti-
am si contrahant cum consensu Patris. *§. quod 10.*
ff. de inut. stip. pupillus tamen cum autori-
tate Tutoris contrahens, obligatur naturaliter &
civiliter, si alienationem rerum pretiosarum ex-
cepit; Ratio Legum est; quod pupillo contra
Tutorem detur actio, non autem filio contra pa-
trē propter reverentiam.

5. Si pupillus, vel minorennis per contractum 8.
factus, aut incommodum passus fuerit, gaudet bene-
ficio restitutionis in integrum intra quatuor annos
ab anno 2, to completo, vel si veniam ætatis obti-
nerit per quatuor annos à die obtentæ veniæ, ita
ut possit repetere rem, vel pretium, de quo con-
traxit, cum fructibus, damno, & lucro cessante *L.*
7. C. de temp. in integr. restit.

L 3

6, Om-

9. 6. Omnia jam dicta de pupillis etiam tenent de minorennibus Curatorem habentibus; si Curatorem non habent, obligantur naturaliter, & civiliter, etiamsi contrahant de rebus aliquantum pretiosis, & in quotidiano usu non occurrentibus. *L. puberes 101. ff. de verb. oblig.*

10. 7. Prodigus non habens Curatorem contrahit validè naturaliter & civiliter, etiam notoriè talis, & acceptum ab eo retineri potest, si verò auctoritate publicâ Curatorem habet, nequidem naturaliter ex contractu obligabitur, & qui cum eo contrahit, tenetur restituere ante sententiam Judicis, etiamsi prodigus non reperat, quia detinet rem alienam, *Azor. Sanch. num. 20. C. 17. Regu. l. 25. num. 106.*

11. QUÆR. II. Quid circa materiam contractus?
 1. Materia contractus debet esse honesta, possibilis, & saltem in spe existens.

Dicitur 1. honesta; nam si objectum sit turpe, seu peccaminosum, ad illud nulla dari potest obligatio; si verò materia seu objectum contractus sit honestum, contractus valebit, quamvis aliunde forsan sit illicitus, vel prohibitus; non enim omne prohibitum est invalidum, valet enim matrimonium contra fidem priorum sponsalium initum; valet venditio, si postquam vendidi Titio, vendam & tradam Sempronio, sunt tamen hi contractus illiciti, utpotè contra jus alterius.

Dicitur 2. possibilis, & in spe saltem existens; si enim contrahentes sciant rem esse impossibilem, aut nunquam in spe existentem, tunc serio & efficaciter se obligare non intendunt, si non sciant, erit error insubstantia.

QUÆR.

QUÆR III. Qualiter contractus firmentur 12.

juramento? *Responsio constabit ex seqq.*

1. Contractibus licitè adjici posse juramentum, patet ex propol. Wicleff. 43. damnatâ in Concilio constantinensi: *Juramenta illicita sunt, quæ sunt ad corroborandos contractus, & commercia civilia.*

2. Contractum firmari juramento, est contractum è juris dispositione in foro conscientiæ, vel saltem in foro externo nullum, per accessionem juramenti reconvalescere, itâ ut non tantùm obliget ex motivo Religionis, sed etiam ex justitiâ: si contractus jam erat validus, propriè non dicitur firmari juramento, sed ei tantùm superadditur nova obligatio ex virtute Religionis.

3. Omnes contractus puberum sive sint mino- 13.

res, sive majorenes, si matrimonium, & paucos alios excipias, firmanur juramento, qui ex jure positivo habent, quòd sint nulli, & servari possunt absque peccato jurantis vel exigentis juramentum. *Sanch. Haun. Lugo d. 22. n. 226. Laym. l. 4. t. 3. c. 8. Onnate d. 11. num. 98. Herman. thes. 24. Metzger. t. 13. d. 41. §. num. 10. Pothing. lib. 2. Decret. tit. 24. num. 132. & ibid. Schmalzgr. num. 86. Viva opusc. 1. q. 7. a. 2. contra Merenda, Perez, Wiestner & alios, qui volunt, contractus invalidos non validari per juramentum, sed tantùm addi obligationem Religionis. Ad assertum probatur ex cap. cum contingat de jurej. c. licet 2. eod. in 6. c. quamvis 2. de pactis in 6. ubi Pontifex disertè ait: pactum juramento nec vi nec dolo præsrito, firmatum fuisse, & servandum esse, quæ conditio frustra adderetur, si pacta jurata ex sola religione obligarent; nam*

juramenta etiam vi, vel dolo extorta obligationem Religionis inducunt, quoties sine peccato servari possunt. Contractus verò qui juramento firmantur, sunt contractus minorennium, quibus bona etiam immobilia sine autoritate Tutoris, alienant; nam quamvis hi contractus alias nequidem naturaliter obligent, accedente tamen juramento naturaliter, & civiliter obligant; similiter juramento firmatur donatio inter patrem, & filium, renuntiatio paternæ hæ-

14. reditatis, alienatio fundi dotalis &c. *Schmalzg. num 92.* Contractus impuberum probabilis non firmantur juramento, nisi juramentum accesserit post pubertatem. *Bald. Sancb. Lugo. 214.* neque firmantur juramento contractus irriti jure naturali, vel ob defectum consensûs, velut contractus infantum, ebriorum, amentium, vel quia sunt de materiâ jure naturali vel divino prohibita; nam jus positivum non valet supplere consensus, aut reddere licita, quæ jure naturæ, aut divino sunt illicita: neque firmantur contractus injusto metu, vi, vel dolo extorti, quia servari non possunt sine peccato juramentum exigentis. *Jura cit. Onnate n. 129. Schmalzg. n. 91.*

15. 4. Juramentum, etsi non firmet contractum, semper tamen servandum est, quoties sine peccato servari potest, non ex justitiâ, sed in reverentiam divini nominis; ut si metu mortis aliquid jurâto promisisti latroni, vel usurario promisisti solvere usuras, teneris solvere, vel petere relaxationem juramenti à latrone, vel usurario, qui eam ex justitiâ dare tenentur, vel si nolint, ab Episcopo. *Molin. Less. Suar. Hann. Metzg. l. c. Onnate n. 55. Viva opus. 1. q. 7. a. 3. & clarè habetur c. 6. 18. 26. de jurej.*

f. Con-

5. Contractus juramento firmati habent omnes effectus civiles & naturales, quos habent alii contractus jurati nunquam invalidi; hinc pariunt actionem in iudicio, obligant ex iustitiâ & Religionem, ita ut relaxato juramento ab alio, quàm creditore, maneat obligatio iustitiæ, quæ etiam ad hæredes transit. *Suar. Palao. Schmalzgr. à n. 64.* quòd verò juramentum firmet & valide contractum, non habet ex se, sed ex jure positivo, ex se tantum superaddit obligationem religionis.

QUÆR. IV. A quo juramentum hoc relaxari potest? R. Imò. Juramentum firmans contractum à solo eo, cui præstitum est, relaxari potest, quia hic ex tali contractu habet jus quæsitum, quo invitus privari non potest, ideòque nequit illud relaxare Episcopus, imò nec Papa, nisi ex causâ gravissimâ, & ob bonum publicum. *Suar. l. 2. de jure c. 41. num. 2. Sanch. 3. mor. c. 21. num. 2. Haun. to. 5. t. 4. num. 894. Purb. num. 154.*

2. Relaxatio juramenti non confirmantis contractum, pro solo foro conscientie, à Religiosis Mendicantibus obtineri potest, ut dicam *Casu 71. num. 5.* aliàs ab Episcopo jurantis peti debet, ut si usurario usuras, vel alteri per dolum, aut metum injustum, aliquid juratò promisisti, & promissarius tibi obligationem juramenti remittere nolit, in conscientiam tutus es relaxatione tui Episcopi, si verò res deduci debeat ad forum externum, & Reus citari, debes relaxationem petere ab Episcopo creditoris, quia actor debet sequi forum Rei, nisi Reus se spontè subiciat Episcopo jurantis, vel extra suam Diocesim contraxerit, tunc enim cognitio causæ spectabit ad Episcopum loci,

L §

loci,

loci, in quo contractus celebratus est. *Suar. n. 10. Sanch. num. 35. Gonz. inc. 1. de jurej. n. 14. Pirh. num. 156.*

18. 3. Judex sæcularis non quidem directè, sed indirectè poterit relaxare juramentum non confirmatorium, illud remittendo nomine sui subditi id injustè renuentis, vel annullando omnem acceptationem rei juratò promissæ; si enim ipse promissarius juramentum in sui favorem factum remittere possit, & debeat, cur non ipso renuente ejus superior. *Haun. num. 905. Gonz. num. 12. Zæs. de jurej. num. 80. Pirh. num. 159.* Ex his patet Resolutio Casûs.

C A S U S L I.

De Promissione,

DONATUS multa promittit, sed non implet. 1. Quia promissit semideliberatè, ex metu levi sed juratò. 2. Sub solâ fidelitate, vel sub dubio. 3. Ac rem ex parte illicitam, vel impossibilem. 4. Aut juravit non revocare testamentum, ibid. Quia promissarius non acceptavit, vel absens acceptationem non intimavit, aut ejus nomine acceptavit alter. 5. Vel antequam promissio absenti intimaretur, est revocata. 6. Vel mortuus est promittens, aut promissarius. 7. Quia status est mutatus, & ipse indiget re promissâ, & promissarius eum graviter offendit. 8. Quia res promissa perit, vel fuit alienata. 9. Aut pluribus promissa. ibid. Resolutio constat ex seqq.

1. QUÆR. I. Quid sit Promissio? R. Est de libo

berata, spontanea, & gratuita obligatio fidei erga alterum, ad aliquid præstandum, exte-
rius manifestata, & ab altero acceptata: est com-
munis:

Dicitur 1. Deliberata; deliberatione sufficien-
te ad mortale peccatum, quia semiplena delibera-
tio non sufficit ad imponendam sibi obligationem
gravem, imò nec levem. *Molin Sanch. Dicast. l.*
2. c. 4. d. 1. num. 11. Ratio est; quia homo semide-
liberatus non agit modo humano, sed ut semi-
homo.

Dicitur 2. Spontanea: nam promissio fraude,
vel metu injusto etiam levi extorta, ab eo, qui
fraudem, vel metum passus est, pro libitu rescin-
di potest, nisi sit juramento firmata. *S. Th. q. 86.*
1. 7. ad. 3. Sylv. q. 66. a. 2.

Dicitur 3. Gratuita, ut distinguatur à contra-
ctibus onerosis.

Dicitur 4. Obligatio: non formaliter, sed
causaliter, quatenus est signum practicum exer-
citè declarans voluntatem se obligandi, quo di-
stinguatur à nudo proposito, quo quis significat
intentionem aliquid faciendi, absque omni ob-
ligatione.

Dicitur 5. Obligatio fidei; quo indicatur, 2.
quod promissio nuda probabilius obliget ex solâ fi-
delitate sub veniali. *S. Th. 2. 2. q. 88. a. 3. ad 1.*
Bann. Cajet. Sotus. Molin. Gorm. de just. num. 648.
Dian. p. 2. t. 17. Joann. à S. Cruce, Joann. à S. Th.
1. 2. q. 88. d. 29. a. 9. Salmant. hic num. 82. Onnate
num. 92. Dixi, promissio nuda; nam si vesti-
tur juramento, chyrographo, adhibitione No-
tarii vel testium, tunc juxtà omnes obligat ex justi-
tiâ, & sub peccato gravi, secundùm quantitatem
materiz, paritque actionem in judicio. *Ratio est;*
quia

quia

quia si promissio non vestiatur, manet sub nudo debito morali fidelitatis, sola autem fidelitas obligat tantum sub veniali ad conformanda facta promissis, sicut veracitas per se tantum obligat sub veniali ad dicta conformanda menti: Potest autem promittens etiam absque memoratis solemnitatibus se obligare ex justitiâ, & sub mortali, si velit, & alter acceptet, quia potest rem suam alteri donare, ergo & dare jus ad illam; requiritur tamen major materia ad mortale injustitiæ ex liberali promissione, quàm ex furto, quia Dominus censetur magis invitus, ut sibi res sua auferatur, quàm ut ei non detur res liberaliter promissa, ideoque Lopez in 2. p. c. 30. Regim. hic n. 24. Sanch. l. 1. de matr. d. 5. num. 24. Onnate. n. 150. requirunt materiam quadruplò majorem; Sed quid si promissor dubitet, aut non cogitavit (uti promiscuè fit) an se voluerit obligare ex solâ fidelitate, aut ex justitiâ, an sub veniali, aut sub mortali? Et cum Molin. Lugo Sporer t. 6. c. 2. n. 69. tunc solùm obligari sub veniali, etiamsi materia promissa in se sit gravis. Ratio est: quia homines, quando aliquid promittunt liberaliter, abstrahendo, vel non determinando, an sub obligatione gravi vel levi, non intendunt, nec censerì possunt, se velle obligare, nisi ad id, quod requirit natura promissionis liberalis, sed hæc non requirit nisi obligationem levem, ex solâ virtute fidelitatis, ut supra dictum est, ergo: & certè ita habet communis opinio; nam impudens haberetur, qui eo rigore exigeret liberale promissum, quò exigit debitum justitiæ; ex quo meritò colligunt DD. cit. in promissionibus merè liberalibus ut plurimum deesse animum, se graviter aut ex justitiâ obligandi.

Dicitur 6. Ad præstandum aliquid, scilicet licitum, & possibile; nam ad illicitum, & impossibile nulla potest esse obligatio; si res promissa ex parte est licita, ex parte illicita, est obligatio ad partem licitam juxtà *Reg. Juris 37. Utile per inutile vitari non debet*; hinc invalidæ sunt promissiones, quæ præbent occasionem absolutè, aut liberius peccandi, ut si volenti malè agere, promittam eum non monere, non acculare; si promittam Beneficium Ecclesiasticum nondum vacans, *ex tenore 13. de concess. præb.* si adulter ad alteram vivente conjugem promittat Matrimonium, *si quis 8. de eo qui ducit*; quia in his datur, occasio optandi, vel machinandi mortem. Item in re positivo nullæ sunt promissiones, quæ tollunt facultatem de rebus suis liberè disponendi mortis causâ, ut promissio de faciendo testamento in alicujus favorem, vel de non revocando factum.

Dicitur 7. Exteriùs manifestata; nam licèt sola interna voluntas se obligandi sufficiat ad votum, sed quod votum fiat Deo cordium Inspectori, non tamen ad contractum; hic enim debet fieri motu humano, id est sensibili; seu perceptibili ab homine. *L. 1. ff. de V. O. D. Th. hic 9. 88*

Dicitur 8. Acceptata; nam quamdiu promissio acceptata non est, nullam inducit obligationem, sed revocari potest. *L. de pollic. L. absenti ff. de donat.* idque tenet etiam si sit juramento firmata, quia juramentum sequitur naturam contractûs. *Sor. Palao d. 2. num. 6. Salmant. num. 10. Lug. d. 23. num. 50.* Ratio est; quia omne pactum essentialiter constat mutuo duorum, vel plurium consensu, & in omni promissione includi-

3.

4.

di-

ditur: *si alter acceptet*: quandoque tamen ipsum
 jus acceptat pro homine, ut si promissiones fiat
 Reip. vel civitati, L. 1. 3. 4. ff. de pollicit. vel
 etiam, ut plures volunt, Ecclesiis & locis piis
 &c. Promissio presentis facta regulariter acceptari
 debet in continenti, vel quasi continenti L. 137.
de V.O. quia tunc non potest prudenter consentiri
 promissor diu velle suspendere suum consensum,
 si tamen materia sit favorabilis, ipsa taciturnitas
 reputabitur pro consensu, juxta Reg. J. *qui tacet
 consentire videtur*: secus si materia non sit favora-
 bilis. De cætero etiam Pater pro filio, Dominus
 pro servo, Religiosus pro Monasterio, Uxor pro
 Marito, aut econtra, item omnis, qui alterius
 curam gerit, aut ex promissione interesse habet,
 eam acceptare potest.

5. QUÆR. II. Quid circa promissionem factam
 absenti? R. seqq. 1. Promissio (idem est de do-
 natione) absenti facta per Nuntium, vel per lit-
 teras ad promissarium directas, non valet, si cor-
 ram alio, quam Nuntio acceptetur, quia hic, &
 non alius ad acceptandum est deputatus. *Sanch. d. 7.
 n. 35. Dicast. n. 155.* Valet tamen coram Nuntio fa-
 cta, etiam si promittenti non intimetur *Lug. n. 74.*
2. Promissio vel donatio facta absenti, ante-
 quam ad eum pervenerit & acceptata fuerit, re-
 vocari potest; si revocatio non innotescat Nun-
 tio, & hic purè in mandatis habeat, promissio-
 nem, vel donationem factam intimare, adhuc
 valet revocatio, nec promissio validè acceptari
 potest, quia voluntas Domini, quam defert
 Nuntius, nequidem virtualiter existit; si verò
 Nuntius sit simul Procurator, vel Commissarius,
 cui committitur promissio nomine Principalis ti-
 cienda, & revocatio commissionis nec Commissa-
 rio,

no, nec donatario innotescat, donatio acceptari poterit, quia de jure, acta puri mandatarii, revocato mandato etsi incognito, statim sunt invalida; acta verò per Procuratorem antequam de revocatione constet, valida sunt. *L. si mandassem. L. si inter causas ff. mandati L. vero ff. de sol. Gomez. Mol. Sanch. l. 1. de Matr. d. 6. num. 9.*

3. Si promissio, vel donatio, erat facienda per Procuratorem, & promittens moriatur, Procurator verò ignorans, pergat promissionem, vel donationem facere, promissio, & donatio est nulla, quia mandatum gratiæ faciendæ, regulariter expirat morte mandantis. *L. 26 ff. § L. 15. Mandati: Excipe, nisi mandatum sit ad causas cas, quia in harum præjudicium Leges civiles nihil disponunt, & prudenter præsumitur, quòd promittens voluerit hanc suam voluntatem etiam post mortem manere, cùm maximè sit profutura animæ. Covarr. 1. Var. c. 14. Molin. Sà. La Croix p. 2. num. 788.* Si Nuntius sit missus, non ut agat, sed ut purè indicet promissionem factam, & promittens interim moriatur, adhuc acceptari poterit; Ratio est; quòd promissio vel donatio facta, & non revocata, sed literis vel nuntio insinuata sit gratia, gratiâ autem facta non extinguitur morte concedentis. *Suar Clarus Sanch. num. 35.* An econtrâ promissario ante acceptationem mortuo, ejus hæredes promissionem acceptare possint, incertum est, negat cum *Less. Hæred. La Croix num. 787.* quia voluntas promittentis ferebatur in personam promissarii in se, quæ amplius non existit: Si tamen ex circumstantiis pateat, quòd promissio, non solùm in gratiam ipsius, sed simul in favorem familiæ, uxoris, vel prole facta sit, ab his omnino acceptari poterit.

QUÆR. III.

7. QUÆR. III. Quot modis cesset obligatio promissionis acceptatæ? R. Cessat 1. Ex partium consensu .2. Si materia promissa facta est impossibilis vel illicita. ut sup. dictum est. 3. Si promissarius non stet promisso tibi facto; hæc enim videtur fuisse voluntas promittentis, ut frangeret eandem, fides frangatur eidem. *Sà, Regim. Rebel. Onmate num. 185* 4 Si promissisti amico qui factus est inimicus, *Garc. Sylv. Mol. d. 272.* 5. Si promissor ob inopinam paupertatem ipsemet re promissâ indigeat, meritò tamen dicit *Less. Molin. l. 1.* paupertatem non excusare absolute, sed tantum suspendere obligationem usque ad meliorem fortunam. 6. Et generaliter, si res non mansit in eodem statu, ita ut ante traditionem rei promissæ, grave & novum tibi immineat incommodum, quod si tempore promissionis cognitum fuisset, certò non promississes. *S. Th. 9. 110. a. 3. ad 5.* quia non censeris te cum tali incommodo gratis obligare voluisse, & gratuita promissio censetur facta sub conditione, nisi status antè traditionem notabiliter mutetur, quare hæc doctrina etiam locum habet in promissione juratâ. *Auth. cit. Decast. num. 125.* In dubio, an status sit notabiliter mutatus, est obligatio implendi promissum, quia obligatio promissionis est in possessione, certò enim obligavit, & dubitatur an obligatio per mutationem status cesset.
8. 7. Si res promissa in individuo: absque culpa promittentis perierit, ad nihil tenetur promittens; si res promissa sit indeterminata, v.g. ex decem equis unum promissisti Cajo, si pereant omnes, aut pereat equus a Cajo electus, liber es; si pereat unus vel alter, debes Cajo dare unum ex residuis; idem est, si promissisti equum inde-

terminatè, & tradas alienum, debes substituere
 alium, secus, si promisisti hunc determinatè, qui
 postea probatur alienus. *Molin. to. 2. d. 262 Spor. 9.*
n. 6. in Decal. c. 2. num. 74. 8 Si eandem nu-
 mero rem promisisti pluribus, debetur primo,
 etiam si secunda promissio fuerit jurata; quia se-
 cunda promissio, uti & juramentum, sunt dere-
 licitè & alteri saltem ex fidelitate debità, & quam-
 vis primus cedat juri suo, non ideo reconvalescit
 secunda promissio, quia *tractu temporis non firma-
 tur, quod ab initio non subsistit.* R. J. in 6. nisi se-
 cunda promissio facta esset sub conditione: si pri-
 mus cedat juri suo: ità contra *Covar. & alios Tur-
 ran. Lug. num. 107. Sanch. n. 6. Spor. n. 77*

Si dicas: Valet Matrimonium contra fidem
 sponfalium, ergo & promissio contra fi-
 dem prioris, R. N. C. Secunda promissio habet
 pro objecto traditionem rei alteri promissæ idèò
 est nulla, utporè de objecto illicito, Matri-
 monium verò non habet Pro objecto traditionem
 temporum, sed est ipsa traditio, & per conse-
 quens, quamvis Matrimonium contra fidem pri-
 orum sponfalium, sit illicitum, non tamen est de
 objecto illicito, ut si contra votum emam gla-
 dium, ipsa quidem emptio est illicita,
 non tamen de objecto illicito,
 idèòque valida.



M CASUS

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II.

CASUS LII.

De Donatione.

ERICUS varias facit donationes, sed ex postrevocat. 1. Quia res donata est duobus, vel dabitur, an facta sit inter vivos, vel causa mortis. 2. Quia rem dedit uxori, quâ invitâ ex post vendidit. 3. Aut dedit filio causa studiorum, ob nuptias, vel sacros ordines. 4. Quia dedit omnia bona, vel saltem ultra 500. solidos, etsi iuroto ad causas pias. 5. Quia donatarius eum infamavit, alimenta indigenti non præbuit, vel aliter fuit ingratus, et si id probare non possit. 6. Ideoque vult, ut post mortem suam heres donata repetat. 7. Item post donationem remuneratiam Ecclesie factam, natus est proles. 8. Aut donatio fuit in officiosa, sed jurata. 9. Reolutio constabit ex seqq.

I. QUÆR. I. Quid & quotuplex sit Donatio?

R. I. Donatio est gratuita domini translatio. Dicitur gratuita; quia fit liberaliter absque obligatione, non tantum iustitiæ, sed & gratitudinis, ideoque donatio antidotalis, seu remuneratoria, quæ fit ex gratitudine ratione beneficii, vel obsequii præstiti, non est donatio planè gratuita, & strictè dicta, & in odiosis non venit nomine donationis. *Pirh. l. 3. de cr. tit. 24. n. 1. & ibid. Resp. n. 3.* Utraque donatio tam gratuita, quam antidotalis debet esse acceptata, nec non libera à metu, & dolo, aliàs erit rescindibilis juxta dicta *de promiss. Casu prac.* Distinguitur donatio à precario, commodo &c. quòd in donatione transferatur dominium, non verò in his; in mutuo quidem transfertur dominium, sed cum obligatione restituendi rem

rem similem, donatio verò fit gratis absque simi-
obligatione.

2. *2dò.* Donatio dividitur 1. in realem, & 2.
verbalem; realis est, quæ fit cum rei traditione;
verbalis, quæ fit solo verborum officio, estque
sola promissio de dando, quâ quidem alteri per
verba de præsentî res actu donatur, sed actu non
traditur, hæc donatio est improprie talis, & im-
perfecta, neque ei convenit definitio superius
data; si eadem res uni donata est verbaliter, alte-
ri verò realiter cum traditione, hic retinebit
rem, primus tamen habebit actionem contra do-
nantem, ad restituendum valorem rei, & omne
interesse.

2. Dividitur donatio in absolutam; quæ fit
absque ulla conditione, onere, vel modo; & in
conditionatam; quæ fit sub certâ conditione vel
onere; sed neque hæc proprie donatio dicitur *L.*
ff. de donat.

3. Et principaliter dividitur in donationem *in-
ter vivos*; quæ fit sine mentione, aut suspitione
mortis, & donationem *mortis causâ*; quæ fit in-
trita mortis, ideoque mortæ non secutâ revocari
Potest. §. 1. *inst. de donat.* si adjiciatur pactum vel
juramentum de non revocandâ donatione, hoc ip-
so est donatio inter vivos. *Illf. Onnate d. 31. sect.*
7. & 8. In dubio, an donatio sit facta inter vivos,
vel mortis causâ, censetur facta inter vivos, quia
hæc est principalior. *Onnate n. 84.*

3. QUÆR. II. Quænam donationes à jure pro-
hibeantur? *R.* seqq. 1. Donatio pupilli, filii fa-
miliæ, Religiosi, si fiat absque licentiâ Tutoris,
Patris, vel Superioris &c.

2. Prohibetur donatio merè liberalis, & gra-
tuita facta conjugî à conjugè, & ejusmodi dona-
tio

tio est ad nutum revocabilis, ita ut maritus rem se uxori donatam insciã & invitã uxore vendere, vel alienare possit toto tit. *C. de donat. inter vivos & uxorem*. Ratio est: quia conjuges ex mutuo affectu vel nimium darent, aut si non darent, esset periculum discordiarum. Si tamen donatio non sit merè liberalis, sed remuneratoria, aut accedat juramentum, vel mors donantis, firmatur donatio, & fit irrevocabilis. *Sanch. l. 6. de Mat. d. 11. Spor. t. 6. c. 3. n. 14.*

4. 3. Donatio à Patre facta filio, infirmata est, & revocari potest, attamen post filii emancipationem firmatur, fitque irrevocabilis, *L. 31. ff. de donat.* Item si Pater filio aliquid det ex causã studiorum, alimentorum, qualificationis, remunerationis, donatio tenet, nec obligatur filius eam mortuo Patre in divisionem hæreditatis conferre. *Nov. c. 17. Mol. to. 1. d. 240. Laym. sup. Covarr. 1. var. c. 7.* nisi ex consuetudine vel aliunde de patris voluntate constet. Sic *Tamb. in Decal. l. 5. c. 4. §. 2. num. 4.* dicit ea; quæ pater dat in dotem, ob nuptias, ob S. Ordines, pro ingressu in religionem, pro procurando officio, Post mortem Patris ex consuetudine conferenda esse in divisionem cum fratribus, non item quæ dat pro solempni convivio in prima Missa, aut in ingressu religionis; colligitur ex *L. ut liberis 17. Cod. de collat.*

5. 4. Prohibetur donatio inter vivos omnium bonorum præsentium, & futurorum, quia talis donator privat se potestate testandi, quod Leges probant, tanquam contrarium bonis moribus civilibus. *L. stipulatio ff. de V. O.*

5. Donatio inter vivos ultra 500. solidos de jure est invalida. *L. pen. C. de donat.* videlicet quoad illum excessum, nisi fiat cum insinuatione do-

donationis coram Judice & tabellione eam ad accipere publicam referente; per solidum intelligitur ductus aureus nostræ monetæ. *Pirh. num. 8. Reiff.*

17. Excipiuntur ab his legibus donationes remuneratoriz, donationes ad causas pias, vel juramento firmatæ, & omnis donatio ad causas, v.g. fundia, dotem, militiam, ad constructionem redium dirutarum. *Cov. Less. Laym. Reiffenst. nu.*

18. Quia hæ non sunt donationes merè gratuitæ, sed etiam ad eas non extenduntur Leges prohibitoriz. imò in conscientia tutò retineri potest omne, quod datur etiam ultra summam à Lege præscriptam, donec à donante, vel ejus hærede repetatur, aut per sententiam Judicis donatio rescindatur. *Less. Laym. Pirh. num. 7. Spor. unum. 55.* *Lat. est;* quòd hujusmodi donatio jure naturæ a valida, & à Legibus tantùm invalidetur sub conditione: si à donante, vel judice rescindatur.

QUÆR. III Qualiter donatio revocari possit? 6.

1. Donatio facta inter vivos quantumvis sit perfecta, & per traditionem completa, ex tribus præcipuè causis revocari potest.

Primò: Ex capite ingratitude, quæ de jure casus comprehendit; ut 1. Si donatarius verbo vel factò donatori injuriam atrocem inferat in honore. 2. Si talem injuriam inferat in bonis fortunæ. 3. Si per se vel per alium impias manus in peccerit. 4. Si vitæ periculum, etiam morte non secuta intulerit. 5. Denique si conditiones sibi impositas non impleverit. *L. fin. de donat. L. fin. de revoc. donat. c. fin. de donat.* Addunt *Clarus, Less. & alii* valdè probabiliter, si donatori valdè indigenti neget alimenta, spectato tamen jure probabilius est, quòd præter causas à Jure

ex-

expressas nullæ aliæ, etsi majores, ad revocandam donationem sufficiant, quia in *L. fin.* dicitur, ex his tantummodo causis donationes reverti concedimus. *Eng. l. 3. T. 24. n. 19. Zæf. 6. n. 31. Pirh. n. 35.* Debet tamen ingratitude probari coram Judice, ante cujus sententiam donatarius restituere non tenetur, post sententiam, tenetur rem cum fructibus post litem contestatam perceptis. *Textu claro in d. L. fin. Dian. p. 8. T. 6. R. 11. Lug. d. 23. n. 172. Pirh. n. 36.*

7. Excipiuntur sequentes donationes ob ingratitude non revocabiles. 1. Donatio facta Ecclesiæ, vel loco pio, etiam si Prælati, vel Monachus foret ingratus, quia hæc donatio primario facta est Deo, qui ingratus esse non potest. *Barbosa in c. fin. n. 15. Clarus §. donatio q. 21. n. 5. Pirh. num. 37.* 2. Donatio remuneratoria, quia in odiosis non venit nomine donationis. *Barb. n. 17. Eng. l. c.* 3. Donatio facta filię in dotem. *L. si dotem 24. C. de jure dot.* 4. Si donatarius rem donatam in alium transtulit, donando, vendendo, permutando. *Zæf. Eng. num. 20.* quia hæc actio est personalis, ideoque contra solum ingratum, & non contra tertium locum habet, nisi hic scienter & dolose rem acquisisset. 5. Si donator scivit ingratitude, & donationem non revocavit, censetur eam remisisse, ne hæres vel successor ejus revocare potest *d. L. fin.* nisi donator lite contra ingratum contestatâ decesserit, aut morte præventus, dolo, metu, vel aliter impeditus, revocare non poterit, vel ingratitude ignoraverit. *Dian. Lug. l. c. Reiffenst. n. 64. contra Zæf. n. 104. La Cruz. l. 3. p. 2. n. 801.* Ratio ducitur à contratio, nam Leges cit. dicunt hæredibus non competere actio-

tionem, si donator tacuit, ergo si non tacuit, competit; non autem dicitur tacere ad ingratitudinem, qui eam ignorat, aut à loquendo, agendoque impeditus fuit. *c. fin. de dilat.*

8. Secundo revocari potest donatio ex capite proles susceptæ, putà si donator carens prole magnam partem suorum bonorum donarit, & post ei improvisò proles legitima nascatur. *L. si unquam C. de revoc. donat.* Excipitur donatio remuneratoria vel facta ob causam, donatori utilem, ità cum communi *Molin. a. 282. n. ult. Clarus qu. 23. n. 3.* Quia ejusmodi donatio non est liberalis, sed potius mercedis præstatio; Item donatio facta Ecclesie, quæ non revocatur ex toto, sed usque ad legitimam filiis jure debitam, *L. 8. 7. de inoff. don.* meritò tamen *S. Aug. Serm. 49. de div. c. 4.* suadet, ad majorem populi ædificationem, totum ab Ecclesiâ restitui.

9. Tertio revocari potest donatio inofficiosa, sic dicta; quòd pater vel mater contra officium pietatis, uni vel pluribus filiis, aut etiam extraneis, in tantâ quantitate donavit, ut Liberis legitima auferatur, vel minuatur, tunc hi per querelam apud Judicem institutam, post mortem donantis possunt revocare donationem, non quidem in toto, sed quantum diminuit portionem illorum legitimam, ut claret ex *L. 1. § seqq. Cod. de inof. donat.* Necrefert, quòd parens fortè donationem juramento firmarit, cum enim beneficium revocandæ donationis in favorem liberorum introductum sit, non potest Patris juramento tolli. *Tamb. Haun. Laym hic n. 18. Pirh. n. 46.* Qui pariter dicunt revocari posse donationem juratam ex capite ingratitudinis, aut natæ proles, quia donatio, & per consequens juramentum donationi

adjectum, ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem; nisi proles nata, aut donatarius ingratus fuerit, &c.

C A S U S L I I I .

De Commodato, Precario, Deposito.

FAbius equum amico commodatum, 1. 2. Et quod ipse illo indigeat, antetempus repetit, 3. Res precario concessas, vendit statim. 4. 5. Sed hoc non obstante amicus equum aliis commodat vel locat, aut ultra tempus retinet, 6. 7. Interim equus morbo inficitur, alios inficit, ac post multas expensas moritur. 8. Rebus apud se depositis utitur, 9. Nec statim repetenti reddit, 10. Ex post apud ipsum deteriorantur, permutantur. 11. Negotiationi exponuntur, 12. Et prae-textu habita custodia, expensarum, aut debiti, retinentur, 13. Pro Resolut.

QUÆR I. Quid sit commodatum, & Precarium?

I. R. 1. Commodatum est rei alicujus pro certo tempore ad solam usum gratuita concessio.

Dicitur 1. Rei alicujus sive immobilis sit; ut domus, stabulum &c. sive mobilis, praesertim, quæ usu non consumitur, nam quæ usu statim consumuntur, ut pecunia, vinum, frumentum, commodari non possunt, nisi fortè ad pompam, vel ostentationem, *L. fin. de commod.*

2. *Dicitur 2.* Ad usum; in quo commodatum distinguitur à pignore & deposito, quorum usus

non

non conceditur; nam si creditor pignore, vel depositarius re deposita utatur Domino invito, furtum committit. §. furtum instit. de oblig. qua ex delicto. Deinde differt commodatum à mutuo, quòd in hoc dominium rei mutuatae transferatur, in commodato solus usus, dominio, vel possessione penes commodantem remanente.

Dicitur 3. Pro certo tempore ex-vel implicitè determinato: Explicitè determino, si dicam: concedo tibi equum ad 3. dies; implicitè, si dicam: concedo tibi equum ad iter, hoc ipso intelligitur tantum temporis concedi, quantum requiritur ad tale iter, nec citiùs reperi poterit, nisi commodans pateretur inde notabile damnum non evitabile, tunc enim quamvis commodatarius equale pateretur, reperi posset, quia in concessione gratuita subintelligitur conditio: nisi ego te meam ad evitandum damnum proprium invenero, ut in simili patet in donatione, quae ex parte prolis improvisò natae, revocari potest, id est de jure naturae, quia gratuito donans, censetur facultatem istam sibi retinuisse. Less. c. 27. dub. 1. Molin. d. 295. apud Lug. d. 33. n. 10.

Dicitur 4. Gratuita concessio; in quo distinguitur à locato & aliis contractibus onerosis. 4.
n. 2. Precarium à commodato tantum in hoc distinguitur, quòd in precario ad preces alterius, cuius rei usus gratuito concedatur, sine ulla temporis determinatione, usque dum precariò datus voluerit revocare; non debet tamen revocare statim, aliàs censeretur voluisse alteri illudere. propter hanc revocabilitatem precarium tantum obligat ex culpa lata, quae dolo aequiparatur. L. 1. de iur. ff. si mensor; commodatum verò ex culpa tantis levissimam; depositum, si est in solam utilitatem



tem deponentis, ex sola culpa lata, idque in foro fori; nam in foro poli, seu conscientie, solam culpam Juridicam, si non sit conjuncta cum culpa Theologica, non obligare ad restitutionem dixi *Casu 37. num. 9.* excipe, nisi commodatarius se specialiter obligaverit ad quemcumque casum fortuitum, & non culpabilem Solvitur, vel revocatur precarium. 1. Expressâ, vel tacitâ concedentis voluntate, ut si rem repetas, alteri

5. vendas, vel dones. 2. Morte ejus, cui concessum est, quia est veluti gratia personalis, quæ ad hæredes non transit. *L. cum precario ff. de prec. l. ult. eod.* 3. Si concessum est ad beneplacitum concedentis, finitur morte concedentis, secus, si absolutè, vel usque ad revocationem; tunc enim durabit, usque dum ab hæredibus revocetur. *d. L. precario*

QUÆR. II. Quæ sint obligationes commodatarii? R. Seqq. 1. Commodatarius non potest re

6. commodatâ uti ad alium usum, quàm ad eum, ad quem est concessa; si utatur ad alium usum, & propterea pereat, tenetur actione furti. *L. sicut de commod.* similiter, si non restituat tempore convento, tenetur ad omne damnum obinde emergens, idque in conscientia ante sententiam Judicis, si mora sit culpabilis. *c. un. de commod.* non tamen tenetur ad casum fortuitum, nisi sua morâ causa sit, quòd tali casu res ista pereat, eodem modo non peritura apud Dominum. *Leff. Eng Reiffenst. l. 3. t. 25. num. 32.* quid verò juris sit, si res remissa pereat dolo vel culpâ Nuntii, dixi *Cas 45. à n. 17.*

7. 2. Per se loquendo potest commodatarius rem sibi commodatam alteri commodare, & jus suum in alium transferre, nisi constaret de contraria

mente

rente commodantis, cui liberum est uni, & non alteri, rei suæ usum concedere.

3. Qui scienter commodat alteri rem vitiosam, v.g. equum morbidum, nec vitium aperit, tenetur commodatario de omni damno, ad eòque satisfacere pro equis à suo equo infectis, quia hujus damni causa est. 8.

4. Commodatarius tenetur ad expensas ordinarias, v.g. ad pabulum, aut soleas equi reparandas; extraordinarias, quæ v.g. in curationem equi infirmi impenduntur, tenetur ferre commodans. *Lug. n. 14.*

QUÆR. III. Quid sit depositum?

2. Depositum est contractus, quo rei alienæ custodia gratis suscipitur, estque communiter res mobilis, v.g. pecunia, vestis, frumentum &c. Dicitur: rei custodia, non usus; nam si concedatur usus rei gratis, vocatur commodatum, si erga pretium, erit locatio; dixi sup. depositum te deposita invito Domino uti non posse absque crimine furti; si tamen deponatur pecunia numerata non clausa, nec ob signata, censetur dari in modum, id eòque potestatem fieri eam alienandi, aut cum ea negociandi, ita ut dominium, per consequens, & periculum rei transeat ad depositarium, *arg. L. si sacculum ff. depositi*; quòd *Matin. Laym. Lug. num. 4.* extendunt ad omnes res usu consumptibiles, ita ut commodatarius non peccet saltem mortaliter, dummodò certus sit, se tantundem ejusdem generis, & bonitatis præstò habiturum, cum Dominus repetiverit. Species depositi est sequestrum, quo res controversa deponitur apud tertium impartialem, qui propterea sequester vocatur, eo fine, ut post sententiam Judicis, vincenti tradatur. 9.

QUÆR.

QUÆR. IV. Quæ sint obligationes depositarii?

10. 2. Seqq. 1. Depositum debet reddi statim, ut petitur, licet deponens dixisset, se deponere in mensem, & postea mutato animo reperat in fine hebdomadis, si tamen fuit verum depositum, & non potius locatio rei depositæ, *c. bona fides de depos.* si res deposita sit furtiva, & fur, & Dominus eam reperat, si certò constet de jure Domini, reddenda est Domino, non furi.

11. 2. Si res deposita præter culpam depositarii, incipiat deteriorari, monendus est rei Dominus, aut si hic conveniri non possit, neque res conservari, vendenda, & pecunia Domino asservanda est, hæc enim censetur esse voluntas Domini. Sed quid ad hunc Casum? Civis Coloniensis emittit extra urbem frumenta, eaque deponit apud Titium suo tempore vehenda Coloniam; Titius cum habeat frumenta Coloniam æquè bona, vel meliora, data occasione vendit frumenta deposita cum intentione dandi sua Coloniam existentia, ne alter novis expensis cogatur sua Coloniam vehere, interim frumenta Coloniam existentia una cum domo exuruntur. Quæritur quis teneatur ferre damnum? *Molin d. 523. & Lugo num. 5.* dicunt, in simili Casu damnum pertinere ad deponentem, quia depositarius ex consensu rationabiliter præsumpto ea cum suis permutavit & vendidit, & sicut consensus præsumptus sufficit ad excusandum à peccato, sic & sufficit ad validam permutationem, *Bonac.* tamen veriùs contradicit, quia deponens non præsumitur consentire, nisi cum obligatione, ut depositarius permutans rem similem in facto tradat, sicut & alter suam in facto occupavit, & vendidit. *At dices: si res deposita in-*

deponat deteriorari, & depositarius ex præsumpta Domini licentia, qui pro nunc desuper moneri non potest, rem vendat, pretium autem sine culpa ejus auferatur; ad nihil tenetur ob licentiam præsumptam; ergo & in casu priori, *Re. N. C.* nam in casu priori vendens agit nomine proprio, *12.* in rem & commodum proprium, hic autem agit causam deponentis, idèque pretium rei venditæ, est sub Dominio deponentis, cui per consequens perit.

Si sola res deposita perit, vel ablata fuit, & res depositarii manserunt incolumes, in foro externo præsumitur dolus, nisi probetur, depositum peritisse *c. 2. de commod.* in foro tamen conscientie, si culpa nulla intercesserit, vel tantùm in dubio de culpa, depositarius ad nihil obligatur, quia in dubio delictum non præsumitur.

4. Qui negotiatur pecuniis apud se depositis, in invito Domino, non videtur peccare graviter, dummodò maneat in statu Domino repetenti pecuniam suam reddendi, sitque Dominus lucri negotiatione provenientis; est enim fructus industria, potestque hoc non obstante ratione curatæ (si ita ab initio conventum est) aliquid percipere, sed tunc non manet purum depositum, sed alius contractus innominatus.

5. Si depositor tibi, vel alteri quid debeat, debitum ex re deposita compensare non potes. *c. de commod. L. si quis C. eodem.* idque pro foro interno, nam in foro conscientie, si debitum sit certum, & aliâ viâ solutionem consequi non poteris, rem depositam licitè retinere potes, usque dum alter satisfaciatur. *Reiffenst. tit. 16. n. 19. Pirh. ad. n. 11.*

CASUS LIV.

De Mutuo, & Usurâ.

G Abrus filius familias, minorennis, dubitans, an unquam reddere possit, à fure, aliquo mutuò accipit, & dat, nec reddit in eâdem bonitate.

9. Accipit aliquid supra sortem titulo gratitudinis. 10. Periculi, amittende sortis. 11. Lucri cessantis. 12. Pœna conventionalis. 13. Ex contractu Legis commissoria. 14. Quia præsens pecunia melior est, quàm futura. 15. Quia obligavit se ad non repetendam sortem usque ad certum tempus. 16. 17. Quia dedit centum eâ conditione, ut si alter supervivat decem annos, reddat quadringentos, alias nihil.

18. Quia voluit contrahere modo sibi favorabile. 19. Instituit montem pietatis. 20. Inuit contractum Antichryseos. 21. Mohatra. 22. Emit res infra condignum ob anticipatam solutionem. 23. Vel carius vendit ob dilatatam solutionem. 8. Vendit fundum ad creditum, reservatâ sibi annuâ pensione. 24. A suo creditore redimit chyrographum 1000. Imper. pro quingentis. 25. Item debitum liquidum 100. aureorum pro 90. 26. Aliquid exigit pro usu sua pecunie. 27. Mutuò dat cum onere non venandi in suis agris. 28. Contractum usurarium alter cedit. 29. Usuras non restituit, quia putat earum se acquisivisse dominium, & alii spontè aliquid obtulerunt, ne capitale citò revocaretur. 30. Principe in omnibus connivente, vel etiam cooperante. Pro Relolatione.

1. QUÆR. I. Quid sit mutuum?

g. Mutuum est contractus, quo traditur dominium rei fungibilis, id est, pondere, mensura, vel numero constantis, eâ conditione, ut post aliquod tempus reddatur res similis speciei, & bonitatis.

Dicitur 1. Traditur dominium rei, ut significetur simul cum dominio omne periculum rei transire ad mutuatarium, seu eum, qui rem mutuo accepit, ita ut, quamvis casu pereat, ipsi pereat, res enim regulariter perit suo Domino; item, per hanc particulam, mutuum distinguitur a commodato, pignore, & locato, in quibus tantum usus rei conceditur, quo expleto res in individuo reddenda est.

Dicitur 2. Eâ conditione, ut post aliquod tempus reddatur, scilicet tempore à mutuante præfixo, aut si nullum est præfixum, res relinquenda est mutuatario usque ad expletum usum, & finem, ob quem mutuata est; sic frumentum agricolæ pro semente mutuatum, censetur mutuum usque ad messem.

Dicitur 3. Similis speciei & bonitatis; unde vinum regulariter reddendum est pro vino, hordeum pro hordeo, pecunia pro pecuniâ &c. nè mutuans cogatur rem suam permutare, aut deteriorem recipere contra suam voluntatem.

QUÆR. II. An mutuatarius teneatur, rem in eadem bonitate intrinsecâ, vel in eadem bonitate extrinsecâ restituere? bonitas intrinseca est quam habet res à se, seu ex natura sua, extrinseca, quam habet à communi æstimatione hominum, vel taxatione Magistratûs?

R. I. In rebus à pecuniâ distinctis, v. g. in vino, frumento &c. regulariter restituenda est res in valore intrinseco, quam habebat tempore ac-

ac-

accepti mutui, pecunia verò regulariter in valore extrinseco; hinc si mutuò accipis vinum, frumentum, &c. dum valet sex florenos, satisfacis reddendo vinum, & frumentum ejusdem bonitatis intrinsecæ, quamvis tempore restitutionis solùm valeat quatuor. Quòd si tempore restitutionis vinum, aut frumentum non haberes, potes emere simile, vel solvere, quanti tunc valet, quando restituendum est; econtra si pretium creverit, restituendum erit in toto illo valore; intellige hæc, si periculum crescendi non fuerit prævisum, vel si est prævisum, fuerit æquale periculum crescendi & decrescendi; nam si eras quasi certus, quòd res mutuata tempore restitutionis plus erat valitura, non potes plus exigere, quàm res, v. g. frumentum valuit tempore dati mutui. *Laym. Castropalao, Spor. t. 5. c. num. 16. t. Metzg. t. 13. d. 42. a. 1.* Ratio est, quòd res mutuata transeat in dominium mutuatarii, adeoque sicut periculum rei spectat ad ipsum, sic & major ille valor, solus enim valor præsens, quem res habet, dum eam das mutuò, spectat ad te; ergo ratione valoris futuri nihil exigere potes, nisi fortè eras rem tuam usque ad majorem valorem ratione damni emergentis exigere, deductis tamen expensis, quas in asservatione rei eras facturus.

5. *Dices contra jam dicta: Ergo non potero frumentum vetus mutuuum dare, ut restituatur novum, quia scio, quòd novum sit melius vetere. R.* Per se loquendo, id fieri non posse, per accidens tamen, quia mutuuario sæpè facilius est restituere novum, quàm antiquum; id licitè fiet, etiam ideo, quia fru-

men-

menta in messe, quando nova sunt, ob copiam eorum ordinariè sunt minoris pretii, quàm v. g. in Maj. vel Junio.

Dices 2. Ergo si habeam antiquam monetam, cujus valorem extrinsecum certò scio post annos augendum, non potero eam dare mutuò cum obligatione, ut in eadem specie reddatur. 2. Non potero cum tali moneta emere censum eà conditione, ut redimatur eadem moneta. R. Ad 1. Si eandem monetam eram servaturus, & expositurus in majori illo valore, aut cum lucro ad censum vel negotiationem expositurus, ratione damni emergentis potero petere majorem valorem, vel eandem monetam, aliàs non. Ad 2. Possum emere censum cum obligatione eundem eadem moneta redimendi, si sit æquale periculum, ut crescat, vel de-
 crescat valor, secùs, si sciam valorem augendum, nisi majorem valorem minori pensione compensem; nam si accipio summam pensionem, v. g. quinque in centum, & præterea velim recipere eandem monetam, quando v. g. ejus valor crevit ad quinque, habebò duplex lucrum; nec obstat, quòd pecuniam eram servaturus usque ad majorem valorem; nam tali casu non accepissem pensionem, ergo vel unum oportet dimittere, vel alterum.

Laym. Sporer l. c.

Si nullum tempus reddendi, in mutuo præfixum sit, potes repetere rem mutuatam, etiam tunc, quando plùs valet, dummodo absit dolus, imputet sibi mutuatarius, quòd non citius restituerit, hoc enim ei erat liberum, Pirrh. l. 5. tit. 19. à n. 54. Lugo dist. 25. num. 122.

3. Si mutuò accepisti pecuniam, v. g. pistolettas, debes illas reddere in illo valore extrinse-

N

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom II.

co, quem habuerunt tempore accepti mutui, ita ut, si ex post valor ille diminuatur, debeas tantundem superaddere, si augeatur, tantundem possis subtrahere; nisi & hic specialiter conventum sit, ut eâdem monetâ in specie, & in valore intrinseco reddatur. Ratio horum est, quod in contractibus ad hoc attendendum sit, quod regulariter intendunt contrahentes, sed si sit æqualis spes valoris crescendi, & decrescendi, regulariter in pecuniâ attenditur valor extrinsecus, quem habebat tempore dati mutui, in frumento autem, & similibus, valor intrinsecus; Ergo, &c.

6. QUÆR. III. Quinam ex mutuo obligentur?

1. Ex speciali juris dispositione aliqui non obligantur ad reddendum mutuum, nisi in quantum mutuans probat illud in utilitatem accipientis esse conversum; tales sunt

1. Ecclesiæ, causa pia, civitas, oppidum; *l. civitas 25. ff. de rebus creditis. Auth. hoc iur. Cod. de Ss. Eccl. c. 1. de solut.* Idque juxta plures tenet de Ecclesiâ, etiam si Prælati cum consensu Capituli mutuum contraxerint; unde pro cautelâ suadet *Eng. l. 1. r. 35. num. 43.* ut mutuans contractui faciat inseri causam, in quam mutuum impensum; neque contentus sit solo chirographo, vel pignore, utpote quod sine solemnitatibus constitui non potest, sed faciat sibi dari fidejussores idoneos.

2. Pupilli, & minores, sive cum, sive sine tutorum vel curatorum licentia mutuum contraxerint.

3. Filiusfamilias, id est, adhuc sub patriâ potestate constitutus, etsi sit major viginti quinque annis, si sine consensu patris mutuum contraxerit, non obligatur civiliter, imò nec naturaliter, seu

sed in conscientia, ut contra *Fach, Covar, alios*.
 que docet *Gomez, Molin, t. 2, n. 2, d. 301. Less, l.*
1, c. 20, dub. 2. Wading, de cont. d. 6. dub. 4. Laym.
l. c. 15, num. 5. Sed potest se tueri exceptione *Se-*
natûs Consulti Macedon. quod nomen habet à
 quodam usurario Macedonio, qui filiis familias co-
 muni pecuniam mutuam dabat, unde filii pecu-
 nias abutentes non tantum corruptos mores indu-
 cebant, sed etiam ære alieno pressi, vitæ parentum
 præiudicabantur, ut ex hæreditate paterna possent
 debita solvere, quare *Senatûs-Consulto* cautum
 est, ut si quis filio familias pecuniam mutuam de-
 disset, ei non daretur actio vel repetitio nequidem
 post mortem patris, ejusdemque *Senatûs-Con-*
sulti exceptio etiam filiabus familias, & parentibus,
 hæredibus, & fidejussoribus filiorum prodesset
l. 7. 9. 4. ff. ad S. C. Maced. & cum hoc juris
 privilegium, non tantum sit in favorem filii, sed
 etiam parentum, non poterit ei filius familias re-
 nunciare etiam jurato, *Panorm. in c. 28. de jurej.*
l. 25. Wading, dub. 4. §. 1.

Excepe varios casus, quibus filius familias civi-
 ter obligatur mutuo: *Primo*, si filius habe-
 at peculium castrense, vel quasi castrense, aut
 sit miles tempore accepti mutui. *2.* Si mutu-
 um sit expensum in utilitatem patris. *3.* Si pu-
 blicè videbatur esse sui juris. *4.* Si in aliis re-
 bus quam in pecuniis mutuum acceperit, nisi id
 fraudè factum sit. *5.* Si accepit causâ studio-
 rum, vel in tali necessitate, in qua pietas patris
 recusare non poterat, *l. si quis, l. pen. ff. ad*
Macedon. l. 1. §. 2. Cod. eodem. *6.* Si filius
 sit filia juxta consuetudinem terræ, (sicut in
 Hispania & plerisque partibus germaniæ) per
 patrias soleant liberari à patria potestate, tunc

mutuum, quod post contractas nuptias accipiuntur
ad instar aliorum hominum, qui sui juris sunt, re-
dere tenentur. *Molin. l. cit.*

7. QUÆR. IV. Quid & quotuplex sit usura?

R. 1. Usura est lucrum immediatè ex mutuo
proveniens tanquam debitum; proinde omne id
quod vi contractus mutui exigitur ultra sortem,
id est ultra rem mutuam tanquam ex iustitia debi-
tum, est usura jure naturali, Divino, & Ecclesiasti-
co prohibita. *Ezech. c. 18. Qui ad usuram
commodaverit, & amplius non acceperit, hoc in plus
est. Luc. 6. Mutuum dantes, nihil inde sperantes.*
Iniquitas usuræ consistit in hoc, quod mutuan-
s capiat lucrum ex re non amplius sua, cum per mu-
tuum transferatur dominium in mutuatarium, ad
quem pariter spectat omnis rei ususfructus, lu-
crum, & periculum. Deinde 100, Imperiales,
quos mutuo das, non valent nisi 100. Ergo in-
quæ exigis aliquid plus. *Dixi 1.* Omne quod vi
contractus mutui exigitur; nam, ex alio titulo,
sæpè aliquid justè exigi potest, v.g. ratione luci
cessantis, damni emergentis, aut periculi sortis,
ut infra explicabitur. *Dixi 2.* Aliquid supra sor-
tem; nam generalis hîc regula est, quod mutua-
tarius vi mutui ad solam sortem reddendam obli-
getur, omne aliud pactum, onus vel gravamen
mutuo extrinsecum usura est; ut si eâ conditione
mutues, ut te recommendet ad officium, ut pro
te laboret, fidejubeat, sortem permutet, in me-
liori specie, vel difficiliori loco solvat, usurarius est.
Ita communis & certa, quænam autem pacta hîc
& nunc sint usuraria, in praxi judicare difficilli-
mum est, ut constabit ex infra dicendis.

8. R. 2. Usura dividitur in realem, & menta-
lem; mentalis est, quando quis intendit aliquod

accipitur ex mutuo tanquam ex iustitiâ debitum, cumvis id in pactum non deducatur. Realis est, quando id clarè vel obscurè pacto inseritur. Item, usura alia est aperta, quando lucrum accipitur ratione formalis mutui; alia palliata, quando mutuum accipitur ratione alterius contractûs, virtualiter in se includit mutuum, ut si carius supra pretium vendas merces præcisè ratione differendæ solutionis, utraque usura ex jure naturæ obligat ad restitutionem, ut statim dicitur; hic in hoc ad Casum

1. Qualiter ex mutuo obligetur filius-familias, vel minorennis, constat ex n. 6. q. 3. in quâ bonitate res mutuata reddi debeat, dicitur ad 2.

2. Qui scit, vel prudenter dubitat, an unquam reddere possit, non potest sine iniustitiâ mutuum accipere, nisi in extrema necessitate, dum omnia sunt communia, aliàs enim injustè alium damnificet, vel saltem periculo damni exponeret.

3. Si à fure mutuo accepisti pecuniam furtivam nondum cum aliâ indiscernibiliter permixtam, non est propriè mutuum, quia non transfertur dominium, & teneris eam non furi, sed domino reddere.

4. Non est usura nequidem mentalis, ex sola gratitudine aut benevolentia sperare beneficium, vel officium à mutuuario, *Nav. Less. Lug. num. 28, Pyr. num. 133.* Velle autem per mutuum obligare mutuarium ad dandum beneficium ex gratitudine, vel benevolentia, usurarium est, ut patet ex propositione 42. ab Innoc. XI, damnata:

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed solum si exigitur tanquam ex iustitiâ debitum.

num. Ratio est, quòd obligare ex pacto ad dandum aliquid ex gratitudine vel benevolentia est reverà obligare ex justitiâ, estque onus mutuo extrinsecum, ideòque juxta regulam superius datam facit contractum usurarium.

- II. §. Ratione justitii cum mutuo conjunctis aliquid licitè & sine usurâ exigi potest; primum ejusmodi periculum est, *periculum amittenda*, vel difficulter recuperandæ sortis, eò quòd nemo pro forte fidejusserit, & sit aliò deportanda, aut mutuatarius sit decoctor, non satis bonæ, vel ignotæ fidei, &c. *Reding. q. 3. a. 3. dub. 3. Metz. a. 2. num. 5. Viva op. 4. q. 3. a. 6.* Ratio est, quòd illud periculum sit mutuo extrinsecum, & pretio æstimabile. Secundus titulus est, *damnum emergens* ex mutuo, v. g. mutuans indiget pecuniâ suâ ad emenda familiæ suæ frumenta, quæ modò potest emere vili pretio, ex eo autem, quòd alteri pecunias det mutuo, & alias non habeat, cogitur postea carius emere; in hoc & simili casu potest mutuans *refusionem* damni in contractum deducere, ità tamen, ut mutuatarium præviè moneat, quia posset hic cum tali onere non velle habere mutuum. Ratio est: quòd hujusmodi periculum vel damnum sit pretio æstimabile, & nemo illud gratis subire teneatur, ergo in pactum deduci potest; si verò mutuans illud in pactum non deduxit, mutuatarius non tenetur nisi ad sortem, mutuans imputet sibi suam negligentiam, *S. Th. q. 13. de malo a. 4. ad 14.* Nisi debitor solutionem injustè differendo fuerit causa damni, *Nav. Laym. Eng. l. 5. t. 19. num. 13.* Quòd si periculum damni sit tantùm probabile, exigi quidem aliquid potest, sed non plus, quam tu ipse rationabiliter velles dare alteri hujusmodi

cius pro re subeunti. Dices : *S. Thom. opusc.*
73. c. 6. ait : Ratio periculi etiam circa sor-
tem non tollit rationem usure in mutuo, uti pro-
bat in c. naviganti ult. de usuris, quod sic
habet : Naviganti vel eunti ad nundinas mu-
tuus pecunia quantitatem, eò quod suscepit in se
periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usu-
rarius est. &c. D. Th. & allegatus textus juxta
 communem, tantum est intelligendus de eo,
 qui mutuatarium vi præcisè mutui cogit ad talem
 determinatè contractum affecurationis in se erga
 precium derivandum; nam licet mutuator æque
 alterius possit aliquid accipere pro securitate sor-
 tem præstanda, non potest tamen vi mutui obligare
 mutuatarium ad ejusmodi contractum secum in-
 tendendum, quia hoc esset novum onus mutuo ex-
 tra secum, quod sine usurâ imponi non potest.
 Tertius titulus est *lucrum cessans*; requiritur au- 12.
 tem, ut quis illud lucrum non tantum potuerit
 habere, sed reverà fuisset habiturus, saltem in
 comparatione animi, ut si quis centum aureos de-
 stinabat ad annum censum vel mercaturam, si det
 illos aureos mutuò, & alios non habeat, quos
 negotiationi vel censui exponat, spem lucri po-
 test in contractum deducere, quia se in gratiam
 alterius privare isto lucro est pretio æstimabile,
 & indebitum, ergo pro eo aliquid accipi po-
 test; nec contrarius est *D. Thom. Opusc. 73.*
73. ubi ait, spem lucri ab usura non excu-
sare; loquitur enim de lucro remoto, quod
quis poterat habere, non autem, quod reve-
ra erat habiturus ex pecunia jam ad actum
lucrosum destinata. Quartus titulus est pœna
conventionalis, ad quam se mutuatarius obli- 13.

gat, casu quo tempore præfixo fortem non restituat; pœna autem debet esse moderata, nec debet apponi ad palliandam usuram, qualiter apponi censetur, si contrabentes conveniant ad solvendam pœnam etiam in mora inculpabili, aut si mutuum detur propter spem pœnæ, vel ponatur ætior terminus, quem mutuarius verosimilius servare non poterit, & hoc modo intelligendi sunt Canones damnantes pœnam conventionalem in mutuo, *Less. Lug. Salmant. t. 14. c. 3. p. 8. §. 4. Viva. a. 7.*

14. Dices : 1. Obligatio ad pœnam conventionalem est onus mutuo extrinsecum, ergo illum exigere est usura. 2. Contractus legis commissoriae sive contractus mutui, quo in securitatem sortis debitæ, datur pignus eâ conditione, ut si mutuarius intra tempus præfixum fortem non solvat, pignus in vicem sortis cedat mutuanti, est usurarius, & ut talis reprobatur à Jure Canonico, *cap. significante de pignore*; sed contractus Legis commissoriae reverà est pœna conventionalis, quia in pœnam moræ pignus cedit mutuanti; ergo. *æ.* Ad 1. Vi mutui obligare ad conventionem ineundam est usurarium C. si alter liberè, & non in vim mutui consentit in pactum pœnale N. Sic si vi mutui velim alium obligare ad vicissim mutuandum v. g. Triticum in futuro, est usura; secus, si ille liberè se offerat ad triticum mutuo dandum. *Ad 2.* In contractu Legis commissoriae vi mutui obligo aliud ad dandum, & perdendum pignus in casu moræ; deinde in contractu Legis commissoriae mutans per pignus æquivalens vel plus valens est satis securatus de sua sorte: ergo illa pœna addita intentione usuraria in ordine ad habendum aliquid

quod supra sortem; econtrà ut pœna conventiona-
lis sit licita, non debet addi ex intentione lucranda
pœnæ, sed ad securitatem sortis.

6. Ab Innoc. XI. damnata est hæc Propositio 15.

41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit nume-
randa, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuni-
am presentem, quàm futuram, potest, creditor
aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo ti-
tulo ab usurâ excusari.* Ratio damnationis est,
quòd spectato solo contractu mutui præscin-
dendo ab omni lucro, damno, & periculo,
pecunia præsens non sit melior quàm futura,
quia præsens tum esset otiosa; nec obstat,
quòd præsens possessoribus sæpè causet oble-
ctationem, quam non causat absens; nam hæc
oblectatio non est pecuniæ intrinseca, sed con-
sistit in solo affectu ad pecunias, qui affectus ma-
gis odio, quàm pretio dignus est.

7. Ab Alex. VII. damnata est hæc Propositio 16.

42. *Licitum est mutuantis aliquid supra sortem exi-
gere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad
certum tempus.* Ratio damnationis est, quòd
præscindendo à periculo, damno emergente, &
lucro cessante, nullum subeatur gravamen pretio
estimabile, etiam si quis se obliget ad non repe-
tendam sortem ad certum tempus: ergo isto titu-
lo nihil exigere potest supra sortem. Nec re-
fert, quòd juxta communiorem licitum sit ali-
quid exigere pro obligatione mutuandi in futu-
rum; nam obligatio mutuandi non est mutuum,
sed actio prævia valdè onerosa; econtrà obligatio
non revocandi mutuum est mutuum continua-
tum, nec importat onus à mutuo distinctum;
ergo quamvis ratione prioris obligationis aliquid

N s

ex.

exigi possit, non tamen ratione posterioris, *Pyrrhing. l. c.*

17. Dices: Qui rem alteri, v. g. equum dat precariò, potest aliquid accipere, ut precarium intra certum tempus non repetat. 2. Quamvis ego agrum meum non colam, si tamen me velis obligare, ut intra tres v. g. annos non colam, possum pro hoc aliquid accipere, quamvis hic non sit damnum emergens, vel lucrum cessans: ergo si velis me obligare ad non repetendum mutuum, etiamsi inde non patiar damnum, vel non cesset lucrum, aliquid exigere potero, qui habeo jus repetendi, sicut alter jus colendi agrum. 3. Obligatio non repetendi mutuum ad certum tempus, v. g. tres annos, est onerosa, & mutuo extrinseca, cum possit esse mutuum absque hac obligatione: ergo pro eâ possum aliquid accipere, sicut pro obligatione dandi mutuum in futuro, vel in loco distant. *q. Ad 1.* Qui dedit rem precariò, si aliquid exigat eâ conditione, ut rem datam intra certum tempus non repetat, hoc ipso non precarium, sed locatum constituit, quia usum rei suæ non dat precariò, sed erga pretium elocât. 2. Precariò dans vel elocans retinet dominium rei suæ, sicut & ego dominium & usum agri mei: ergo ut obligem me ad non utendum re meâ, possum aliquid exigere. Econtrâ res mutuata transit in dominium mutuatarîi unâ cum usu, carere autem re mutuata, secluso damno, & lucro cessante, non est onus pretio æstimabile; hinc patet *q. ad 3.*
18. 8. Si mutuum petenti dicas: Nolo dare mutuum, sed do ducentos eâ conditione, ut si supervivas decem annos, reddas 400. secus nihil.

per se loquendo, non est usura, nec mutuum, sed contractus sponsonis, qui licitus est, si utrumque sit periculum æquale, perdendi, & lucrandi.

9. Mutuans potest aliquid accipere supra sortem, si saltem implicite velit inire contractum censûs, vi cuius v. g. pro 100. Imperialibus emerit jus percipiendi ex alterius industriâ, vel bonis fructiferis annuam pensionem quinque Imperialium, aut vellet inire contractum societatis, in quo Titius dat pecuniam, & Cajus appromittit industriam, ut cum illâ pecuniâ, quantum potest, pro utroque lucretur, ex hoc contractu Titius potest justè sperare lucrum, v. g. 12. Imper. ut autem sortem suam securam habeat, remittit Cajo 4. & ut pariter lucrum ipsi sit certum, remittit Cajo adhuc tres, & sic assecuratâ sorte habebit annuò lucrum 5, Imper. Ita *Laym. Spor. Dian. Garc. Lug. hic num. 40.* Ratio est: quia omnes hi contractus ex se sunt liciti, ut certum est, nec ostendi potest, quare in his circumstantiis fiant illiciti. Unde cum *Sa. v. usura num. 8. Tann. Dian. 1. Tom. de cont. R. 47. Tamb. hic §. 3. num. 27.* aliisque infertur, omnes modo jam insinuato contrahentes excusari ab usurâ, quamvis ignorent naturas dictorum contractuum, dummodo intendant contrahere omni meliori modo, quo justè cum suâ utilitate fieri potest, non considerando, sed supponendo adesse justum titulum, vel alium contractum excusantem. Nec obstat Bulla *De reprobabilis Sixti V.* quia hæc tantum prohibet ex vi contractûs societatis exigere contractum assecurationis, vel tantum improbat Casus jure communi usurarios. Debet autem persona, & bona mu-

mu-

mutuatarum esse fructifera; nam si nec bona mutuatarum per se, nec ipse per negotiationem fructum & lucrum afferre possit, contractus census vel societatis erit nugatorius, ideoque lucrum inde petitum palliata usura.

Dices: Ergo nullus damnandus erit usura, quia omnes intendunt contrahere modo sibi favorabiliori. *re. N. Ass.* Nam sæpè non intendunt tales contractus, sed formale mutuum, tunc autem aliquid exigere supra sortem erit usura. Deinde quando persona aut res alterius non est fructifera, non potest in iis constitui census, neque contractus societatis super lucro, quod nunquam sperari potest, adeoque tunc aliquid propterea exigere erit usura.

10. Licitum sunt Montes Pietatis; publicâ auctoritate erecti. Patet ex Concil. Later. & Trident. *sess. 22. c. 8. 9. § 11. Viv. op. 4. q. 3. a. 1.* In his Montibus quilibet relicto pignore mutuum habere potest eâ conditione, ut intra certum tempus pignus recipiat, & mutuum restituat cum moderato auctuario supra sortem solvendo; vel si intra præfixum tempus non sit solvendo, pignus vendatur, & detractâ sorte exiguoque auctuario residuum de venditione pignoris debitori restituatur. Ratio est, quod hi montes (idem est de Lombardis publicâ auctoritate erectis, in quibus aliquando 15. dantur annuè in 100.) sunt liciti, quia agunt communem causam, subeunt onus conservandi pignora, debent esse parati ad omnes casus, eumque in finem alunt suos ministros. Bursæ, in quibus mercatores privatâ auctoritate constituunt pretia mutuatorum, cambiorum, &c. à plerisque reprobandur.

11. Contractus Antichrifeos, quo pro affecu- 21.

ratione fortis mutuo datae, accipitur pignus vel hypotheca cum jure, hypothecâ v. g. agro utendi, fructusque percipiendi, donec summa mutua restitatur (hic contractus dicitur Germ. *in Pfandschaff*) quamvis à Jure civili toleretur, tamen tanquam usurarius reprobatur à Jure Canon. c. 1. & 2. de usuris, ubi dicitur: *Fructus pignoris sine usura non cedere lucro creditoris, sed computandos esse in exonerationem fortis. S. Th. Cajet. Soto, Eng. num. 17.* Ratio est, quia vi mutui aliquid accipere ultra sortem, usurarium est; atqui hoc hinc contingit; ergo. Possunt tamen adesse alii tituli, vi quorum pars fructuum exigi posset, v. g. ob lucrum cessans, damnum emergens; imò juxta communioem, si contrahens velit inire contractum optimo modo, quo potest, virtualiter inire contractum censûs vel societatis, & per consequens tantum potest accipere ex fructibus, quantum deberetur, si pecuniam formaliter posuisset ad censum, vel societatem. *V. Cas. 60. num. 12.*

12. Contractus Mohatra, quo venditur res 23.

justo sed magno pretio, cum pacto eandem minori pretio revendendi, est illicitus; v. g. vendo tibi equum ad creditum summo pretio, quod est 100. Imper. sub obligatione illum mihi statim revendendi pro infimo pretio, v. g. 90. Imper. Constat id ex Proposit. 40. ab Innoc XI. damnata: *Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem persona cum contractu revenditionis etiam praevisè in eo cum intentione lucri.* Si tamen equum bonâ fide ad creditum vendidisti Cajo, erga justum pretium, & Cajus indigens pecuniâ eundem tibi emendum offerat, ex communiori sententia sine usu-

usurâ eum emere potest minori pretio, imò eo pretio, quo emuntur res ultrò ablata, & pro tertiâ parte vilescentes Ratio est, quia vi primæ venditionis nihil exigitur, sed Cajus liberè & sine ullo pacto antecedente equum revendit tibi, qui æquè habes jus illum emendi ac alius; cavendum tamen est à scandalo, & usurâ saltem mentali; quæ tum esset, si nolens dare mutuum, eâ intentione venderes equum, ut Cajus, quem scis pecuniâ indigere, cogatur tibi minore pretio revendere. *Viva q. 4. n. 3.* & alii.

23. 13. Non licet emere rem infra condignum propter anticipatam solutionem, v. g. nunc emo & solvo tuam lanam duobus aureis, quam habebis, & trades in Augusto, quando valebit tribus, aut quatuor, est enim virtuale mutuum; putat tamen *Tambur.* id licere, si spontè offerantur, merces enim spontè oblata vilescent.

24. 14. Quid de hoc contractu: Vendo & trado tibi fundum pro 100. quia tamen pecuniam non habes, solves pro pensione annuâ quinque, usque dum reluas capitale: an hic contractus est usurarius? pro affirmativâ facit, quòd videatur illa pensio exigi ob solam dilationem capitalis, idèòque ex virtuali mutuo, quod est usura, negativa tamen, quam tenent *Molin. Lug.* & alii, videntur in praxi tuta, & probabilis. 1. quia venditor fundi non obligatur tradere fundum ante solutionem pretii, quòd ergo citius tradat, est ei liberum, & pretio æstimabile propter fructus inde percipiendos. 2. Cùm non teneatur tradere fundum, posset tradere solum dominium directum, reservato sibi dominio utili, & pro illo aliquid accipere.

15. Quid

15. Quid si Rex debeat mille Cajo, qui ob
 difficilem Regis conventionem libenter debitum
 venderet pro 500. an ego, qui Regi debeo 1000.
 Regem rogare possim, quatenus debitum suum
 erga meum commutet, & sub spe talis commu-
 tationis, emere præensionem Caji pro 500. &
 sic extinguere 1000. R. Si Rex commutet,
 seu transferat suum debitum in te, postquam emi-
 sti præensionem Caji, justè procedis; suppono
 enim, quòd ob difficilem Regis conventionem
 præensio Caji justè emi potuerit pro 500. Ne-
 que Regi facis injuriam, quia ejus debitum per
 simile debitum compensatur; post translatum au-
 tem in te debitum Regis, non potes à Cajo præ-
 ensionem minoris emere, sed debes solvere mil-
 le, quia tota obligatio Regis in te translata est;
 ergo sicut ille debebat solvere mille, sic & tu ces-
 satque difficilis conventio, propter quam præen-
 sio Caji minùs valebat. V. *Cas. seq. n. 7.*

16. An debitum liquidum & certum, v. g. 26.
 100. Imper. post annum solvendum, secluso pe-
 riculo, damno, & lucro cessante, nunc emi pos-
 sit pro 90. Affirmant multi apud *Less. Leur l. 3. tit.*
7. 9. 233. Rationem dant, quia jus ad rem,
 v. g. pecuniam, communi æstimatione minus va-
 let, quàm ipsa res, ergo minoris emi potest, id-
 que non tantùm à tertio, sed etiam ipso debitore.
 Verùm opposita sententia est verior, & commu-
 nior; quia debitum liquidum 100. Imper. secluso
 omni periculo, molestiâ, damno vel lucro cessante,
 minùs valet 100. tunc enim non est ratio, cur
 pecunia præsens plus valeat, quàm futura, sed il-
 lud debitum est pecunia futura. In praxi tamen
 debitum rarè est ita liquidum, quin adsit ali-
 quod periculum, præsertim si sponte offeratur,
 ideò-

ideòque tunc viliùs emi poterit. *Lug. num. 96.*
Castrop. Leuren. l. c.

27. 17. Usuram admittis, si apud Cajum deponas pecuniam, datâ ei facultate eâdem pro libitu utendi sub obligatione tibi pro usu annuo dandi 6. vel 10. in 100. Ratio est, quòd hic sit virtualiter mutuum; eo ipso enim; quò das usum pecuniæ absolutum, etiam das dominium, cum talis usus à dominio pecuniæ sit inseparabilis; sed ratione mutui aliquid accipere supra sortem est usurarium; ergo. Quòd si Cajo mutuum dare nolis, sed emas ab eo equum pro 100. eumque eidem eloces pro 10. per se loquendo usuram non admittis, dummodo verè in eas contractum locationis, periculumque equi in te suscipias. Ratio est; quia nihil accipitur ratione mutui, sed ratione locationis, quod licitum est; dixi, per se loquendo, nam & hic periculum est usuræ mentalis & palliatæ.
28. 18. Si Cajus habet jus saltem probabile venandi in tua sylva, transeundi per tuum agrum &c. si eâ conditione mutues, ut hoc jure non utatur; usuram committis; si verò jus id faciendi non habet, sed iniquè præterdit, potest licitè mutuare, ut abstineat, quia sic novum onus non imponis, cum absque eo obligetur abstinere ab iniquâ rei alienæ usurpatione. Quòd si mutuans dicat: Nolo te obligare ad non utendum jure tuo venandi, si tamen venatus fueris, statim cessabit mutuum, *Laym. Lug. num. 53.* putant, id non esse usuram, cum sit tantum statuere terminum mutui, quod liberum est mutuanti; sed & hic videtur esse periculum palliatæ usuræ.
29. 19. Si promisisti usuras solvere, non potes contractum alteri cedere, ei tradendo summam

mutuò acceptam cum obligatione solvendi usuram; cum enim tu summæ mutuatæ sis dominus, tam alteri cedendo cum obligatione usuraria, novum contractum usurarium constituis. Sed quid si me mutuò acceperis 100. & ratione damni mihi emergentis justè te obligaris ad 110. an potes sine usura hunc contractum cedere Cajo, cum obligatione, ut loco tu mihi solvat 110.? Pro affirmat. est, quòd hic contractus sit justus, & utèrque juri suo cedere possit. R. Si tu ex mutuo alteri cedendo, etiam patiaris damnum in 10. potes et hunc contractum cedere, aliàs non. Ratio est, quia cedendo tuam obligationem Cajo, inis novum contractum mutui, ergo si tu damnum non patiaris, & tamen accipias aliquid ultra sortem, es usurarius.

20. Usurarius probabiliùs fit dominus usuræ, quia mutuarius ordinariè vult absolutè & efficaciter transferre dominium; & licèt secundùm quòd translatio sit involuntaria, est tamen simpliciter voluntaria, veluti donatio facta ex metu iniusto, qui per se non irritat contractum, sed tantùm facit rescindibilem ad arbitrium illius, qui iniustum metum patitur, *Scotus in 4. distinct. 15. q. 2. a. 3. Nav. Lug. num. 206.* tenetürque usurarius ad restitutionem, non ex re acceptâ; quia fit ejus dominus, sed ex injusta acceptione, ita ut non tantùm rem ipsam, sed etiam omnes fructus, omne lucrum cessans & damnum emergens restituit debeat. Dixi; ordinariè, nam si mutuarius absolutè non vellet transferre dominium rei usurariæ, eò quòd sciret, se ad hoc non obligari, usurarius non acquireret ejus dominium, per consequens obligaretur eam restituere ex re acceptâ.

O

Si

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II.

Si aliquid datum est ex mera liberalitate vel benevolentia, etiamsi fortè acceptetur intentione usurariâ, retineri potest, quia nulla intercessit realis injuria, nec usura mentalis, nec mutuum est causa donationis, sed liberalitas animi, *Sylv. v. usura 6. Azor. Pyrrh. num. 139.* Idem probabilis dicendum, si mutuarius donet aliquid ex timore orto ab intrinseco, v. g. ne dicatur ingratus, ne capitale citò repetatur, ne mutuans alia vice neget mutuum, &c. Dixi, ex timore intrinseco, nam si mutuans hunc timorem incussit, tenetur restituere, quia est causa injusta donationis.

31. 21. Principes ex justa causa & ita exigente bono communi, usuras permittere possunt, non quidem eas approbando; sed eas non puniendo; qui tamen compellit ad solvendam usuram, vel impedit, quò minus usura soluta restituatur, peccat contra justitiam, & in defectu usurarii tenetur ad restitutionem, circa cooperatores *Lugo num. 214.* hanc tradit regulam: Omnes illi deficiente usurario tenentur restituere, qui ita ad usuram cooperantur, ut solvens usuram sit rationabiliter invitus, quia tales sunt causa efficax & injusta damni: ratione tamen quorumcunque cooperatorum, v. g. deportantium, aut numerantium pecunias, Dominus non videtur esse semper invitus, cum aliquorum actiones velit poni, ut sic impetret mutuum; qui verò sunt causa non præcisè, ut detur mutuum, sed ut detur (sub obligatione solvendi usuras, quoad hos semper censetur invitus.

32. 22. Usurarius publicus & notorius, ex dispositione Juris Civilis & Can. incurrit pœnas sequentes: 1. Fit infamis infamiâ Juris. 2. Non admittitur ad oblationes sacras faciendas, neque ad S. Synaxin.

maximè, aut absolutionem Sacramentalem, donec
iurisfecerit, vel idoneam cautionem præstiterit. 3.
Nec ad Ecclesiasticam sepulturam. 4. Non potest
validè facere testamentum, nisi præstita ante mor-
tam sufficiente cautione &c.

C A S U S L V.

De Emptione & Venditione.

Hæc sunt casus Senator 1. 2. Sciens valorem pecunie
esse minorem varia emit. 3. Qua ante tra-
ditionem vel pereunt, 4. Veleorum fructus à vendi-
te sunt consumpti. 5. Res suas vendit supra pre-
cium à Principe taxatum. 6. Vendit chyrographum
Cui, quem scit non esse solvendo. 7. Redemit tuum
chyrographum continens mille, pro quingentis. 8.
Curat & singulares quovis pretio. 9. Ordinario
pretio emit agrum, in quo scit latere venam auri:
alturam, in quâ scit latereraram artem, 7. Item
res spontè oblatas, vel sub hastâ venditas, chyrogra-
pha emit infra dimidium, 10. Vendit res vitiosas
non manifestato vitio. 11. Res alteri jam venditas.
12. Furivas. 13. Quarum valorem vendens ig-
noravit. 14. Bona fidelium in bello injusto ab hoste
capta. 15. Bona Ecclesia ab hæreticis occupata.
16. Cum sociis omne frumentum emit, ut alii ab
ipso cogantur carius emere. 17. Spargit navium
immerisionem, ut pretium crescat, & falso jurat,
se carius emisse, quàm emerit. 18. Ut debita sibi
summissa solvat, munera accipit. 19. Ignoranter
emit rem censui subjectam, & hypothecam. 20.
Blasphemia impedit, quominus consanguinei ven-
den-

dentis rem emptam retrahere possint. 21. Cum Clericis negotiatur. Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit Emptio, & Venditio?

1. R. Est contractus, quo emptor & venditor conveniunt de danda re, seu merce erga pretium, seu pecuniam; qui dat pretium, vocatur Emptor, qui dat mercem, vocatur Venditor. Hic contractus regulariter completur traditione, ita ut emptor facta sibi traditione, statim acquirat rei dominium. Dico, *regulariter*: quia mercatores plerumque sunt contenti promissione solvendi; si verò non velint vendere ad creditum, sed habere solutionem in præsentem, emptor non fit dominus rei traditæ, antequam solverit pretium, aut saltem cautionem sufficientem præstiterit, §. *vendita Instit. de rerum divis.*

QUÆR. II. Quæ sint obligationes emptoris?

2. R. Seqq. 1. Emptor obligatur solvere pretium æquale statuto tempore, & quidem in eo valore, quem pecunia habebat tempore contractus, ita ut si modò valor ille sit diminutus, emptor teneatur tantundem superaddere, quia aliàs non servatur æqualitas pretium inter & mercem. Quòd si emptor sciat, pretium mercis mox notabiliter augendum, aut monetam aliquam prohibendam, potest mercem emere, vel monetam exponere secundum æstimationem præsentem. Idem est de venditore, si sciat pretium mercis esse minuendum, *S. Th. 2. 2. q. 77. a. 3. & 4. Cajet. Bannes, Sotus, Dian. Covarr. Reiffenst. l. 3. Decret. t. 17. num. 197. Lessen. 16. q. 226.* Probatum exemplo Joseph

Gen. 41. qui currente pretio coëmit maximam
 fructu copiam, etsi certò præviderit, pretium
 ob sterilitatem ex post esse augendum. Et ratio
 est, quia pretium hoc est justum, & valor publi-
 cus pro nunc; non licet tamen Magistratui vel
 Principi merces suas, aut pecuniam in summo
 valore exponere, & postea eorum valorem studio
 minuere; nam hoc esset quærere bonum privatum
 cum damno subditorum, quod est contra officium
 & fidelitatem à Magistratu vel Principe subditis de-
 bitam. *Lug. disp. 26. n. 140.*

2. Periculum & commodum rei emptæ, per- 3.
 tinet ad emptorem etiam re nondum traditâ, nisi
 aliter esset conventum, §. 3. *Instit. de empt. &*
vendit. Hinc si res vendita etsi necdum emptori
 tradita, pereat, perit emptori, nisi perierit, vel
 deteriorata fuerit culpâ venditoris, aut venditor
 fuerit in morâ tradendi, vel res vendita nondum
 fuisset determinata; ut si emas quinque boves ex
 toto grege, nullos determinando, aut nondum
 mensurata, v. g. ex toto acervo tritici, emas
 quinque maldera; tunc enim ante mensurationem
 & determinationem, periculum rei emptæ perti-
 net ad venditorem. *Covarr. Sylvest. V. Emptio*
num. 3. Molin. d. 366. num. 11. Less. Pyrrh. l. 3.
Decret. t. 17. num. 49. Engel 16. num. 6. Leuren
3. 308.

Dices: Res perit suo domino: ergo cum ven- 4.
 ditor ante traditionem adhuc sit rei dominus, pe-
 rit venditori, nec videtur æquum, ut quis citrà
 suam culpam damnum ferat in re non suâ. R.
 Res regulariter quidem perit suo domino, abstra-
 hendo à dispositione juris, & quando res alteri
 ex justitiâ non est debita; hinc autem aliter jura sta-
 tuunt, & res ex justitiâ emptori debetur, nec in-
 iquum

iquum est in re alienâ ferre damnum, si simul debeantur ejusdem fructus, & commoda, uti ea debentur emptori. Ratio est, quòd fructus rei sint connexi cum re, & pars rei; sicut ergo res ipsa, sic & fructus rei à tempore emptionis debentur emptori; hinc si emisti agrum tempore, quo habebat fruges pendentes sive immaturas, sive maturas à fundo nondum separatas, si eas venditor colligat, & ex post agrum tradat, valorem frugum de pretio subtrahere potes; si emisti domum alteri elocata, à tempore emptionis debetur tibi pretium elocationis, etiamsi domus nondum sit tradita, aut assicurata, *Reiffenst. à num. 227. Lauterbach, Leuren. q. 296.* intellige nisi aliter sit conventum, & venditor sibi fructum rei usque ad solutionem conventi pretii reservaverit.

§. QUÆR. III. Quæ sint obligationes venditoris?

R. Seq. 1. Debet vendere rem pretio justo, hoc est, vel taxato à Magistratu vel Principe, aut à communi hominum prudentum æstimatione, pensatis circumstantiis. Pretium statutum à Principe vel Magistratu, vocatur legitimum, est indivisibile, ac servari debet etiam à Clericis & peregrinis ex justitiâ sub onere restitutionis, *Azor. Reiffenst. num. 132.* Nisi taxa à Magistratu facta ex circumstantiis fieret iniqua, aut res tuæ essent notabiliter meliores, quàm quæ in foro communi venduntur, aut superior permittat supra taxam vendi, quamvis unum vel alterum puniat, volens experiri, an servetur taxa, *Tamb. Spor. t. 6. c. 5. à. num. 9. Lug. hic num. 65. Metzger t. 13. d. 43. a. 2. num. 15.* Pretium, quod ex communi æstimatione, & usu hominum taxatur, dicitur

vulgare, admittitque medium, summum & infimum; ut si medium pretium sit v. g. 100. summum circiter erit 105. infimum 95. & sic proportionaliter in aliis.

Dices 1. Si debeant res emi vel vendi juxta æstimationem communem, ergo si habeam chyrographum 100. Imper. à Capo, quem ego scio non esse solvendo, potero illud vendere pro 100. Imper. tantum enim valet in æstimatione communi. R. N. C. nam tale chyrographum est merx habens vitium intrinsicum & occultum.

Inst. Non facio injuriam venditori, si emam rem ejus, quam scio habere valorem occultum, v. g. arborum, quem novi habere venam auri, vel herbam, quam scio habere virtutem incognitam, nec teneor valorem illum occultum aperire, ergo nec vitium occultum. Conf. 1. Ideò teneor vitium occultum aperire, quia tale vitium cognitum minueret communi æstimatione valorem; sed vena auri in agro latens, si manifestaretur, etiam communi æstimatione augeter valorem ergo, &c. 2. In emptione non attenditur valor occultus, sed publicus, sed tale chyrographum, antequam ejus defectus manifestetur, valet in publico 100. ergo R. N. C. Venditor simpliciter cognoscit venam auri, quia vult vendere agrum prout ibi est, ideòque cum jure ad venam auri, si fortè insit; econtrà emens rem vitiosam nullo modo cognoscit vitium, tu autem cognoscis, & ex communi mercantium sensu, vitium occultum aperire teneris, ergo si non aperias, facis emptori injuriam. ad conf. 1. N. ass. ad 2. Dissimulatio est; quia chyrographum tale est res vitiosa.

7. *Dices* 2. Ergo si habeam chyrographum 1000, Imper. à Principe, quod communi æstimatione, eò quòd Princeps sit difficilis conventionis, tantum valet 500, posset etiam Princeps illud emere quingentis, quia Princeps æquè potest emere iuxta communem rei valorem, quàm etiam alii, consequens autem videtur absurdum; sic enim debitum mille Imper. elueretur per 500. quod est aperta inæqualitas. *Et* Si Princeps per se, vel per suos sit causa injusta, quòd pecunia difficilius recipiatur, & chyrographum vilius æstimetur, non potest emere, imò si creditor propterea cogatur etiam alteri minoris vendere, tenebitur ei Princeps damnum, quod patitur, refundere; si verò Princeps non esset causa injusta, quòd chyrographum vilius vendatur, per se loquendo, emere posset, dummodo absit scandalum & injustitia mentalis, *Lugo n. 107.*

8. 2. Potest res sine injustitiâ vendi summo, medio & infimo pretio, si hi fines excedantur, est obligatio restituendi excessum, quia non servatur æqualitas; Excipe, nisi sint alii tituli, de quibus emptorem moneas, ut damnum emergens, lucrum cessans, molestiæ, & expensæ in tradendâ re, aut habendo pretio, item si res sint novæ, raræ, singulares, v. g. flores Indici, aves, feræ, gemmæ, picturæ, & similia, quæ nec à foro, nec à Principe æstimationem habent, nam tales posse quocunque pretio vendi, docent *Bannes, Valent. Radriq. Spor. num. 25.* Ratio est, quia cum res illæ non sint in commercio humano, nec taxam habeant, non videtur venditor teneri, illas alienare, nisi solvatur, quod petitur; deinde nulli fit injuria; nam emptor liberè emit rem non necessariam, idèdque censetur excessum pretii do-

donare; probabilius tamen est oppositum, quia
 quævis hæ res non habeant pretium à communi
 & rudi plebe, recipiunt tamen prærium & æstima-
 tionem à prudentibus & intelligentibus, & secun-
 dum hanc, non autem juxta vendentis avaritiam
 variari, vendique debent, neque emens pretium
 excessivum dat planè liberè, sed ex errore, seu
 ignorantia. *Lug. n. 47. Castropalao, Metzg. n. 7.*
Salmanic, c. 2. p. 9. Reiffenst. n. 127. La Croix l. 3.
p. 2. n. 491.

Dices: Ergo injusti sunt, qui specula, acus,
 vitellos & similes reculas, apud nos vilissimas,
 Indis, Æthiopibus, Japonibus erga aurum &
 gemmas vendunt, vel permutant. R. N. seq.
 nam in illis regionibus raritas, ideoque commu-
 nis æstimatio vulgare prærium tribuit.

3. Si scias in alieno fundo latere thesaurum, aut
 venam auri vel argenti, potes fundum eme-
 re pretio ordinario, nec teneris thesaurum, vel
 auri venam vendenti revelare, *S. Th. 2. 2. q. 66.*
q. 5. Sotus l. 6. de just. q. 3. a. 3. Nav. c. 17. n. 175.
Molin. d. 56. Less. Laym. l. 3. t. 1. c. 5. num. 53.
Valent. Salon. Less. c. 5. dub. 15. quod Lugo d. 6.
num. 129. extendit ad eum, qui communi præ-
 tio emit rem mobilem, v. g. concham in qua est
 gemma, saccum hosti ereptum, in quo latet pe-
 cunia. Item Medicus justè emit vili pretio fasci-
 culum herbarum, in quo scit latere herbam val-
 de pretiosam; item pictor picturam, in qua scit
 latere artem plerisque incognitam; item exiguo
 pretio licitè emo equum morbidum, quem ex ar-
 te mihi fortè soli, vel paucis cognitâ curare novi.
 Ratio horum omnium est, quòd in justâ emptio-
 ne non debeat attendi qualiscunque valor etiam
 absconditus rei, sed valor, quem res habet ad

communem usum, & in communi hominum æstimatione; sed antequam sciatur in agro latere thesaurum, ut venam auri, in sacculo lanæ pecuniam, in fasciculo herbam pretiosam, in picturâ artificium, in equo curabilitatem, communi usu & iudicio tantum æstimantur pretio & valore ordinario, ergo. Nec obstat, quod vena metalli videatur pars agri, herba pars fasciculi, artificium pars intrinseca picturæ, &c. reddens agrum, fasciculum, aut picturam intrinsecè pretiosorem; nam quamdiu hæc pretiositas communiter nescitur, non crescit communis valor & æstimatio agri, fasciculi, vel picturæ; venditio autem fieri debet juxta valorem & æstimationem communem hominum; hinc si tu vel etiam emptor rei suæ nimiùm afficiatur, aut eâ indigeat, vel tu rem cariùs emisti, quàm reliqui mercatores, non poteris obinde cariùs eam vendere, quia res non valet tanti, quanti tu eam emisti, & quanti tu vel alius eam æstimat, sed quanti æstimatur communiter, S. Thom. l. c.

10. 4. Res spontè oblata viliùs emi possunt, imò juxta *Lug. num. 45. Cajet. Spor. num. 22.* ad tertiam partem, juxta *Rebell. & alios apud Dian. p. 1. t. 8. q. 78.* ad dimidium vilescunt, quod tunc verum est, quando adest circumstantia, vi cuius vilescant, v. g. abundantia mercium, raritas emptorum, aut si merx emptori sit parum utilis, vel onerosa, & tamen ematur in gratiam venditoris; secùs, si nulla harum circumstantiarum adlit; sicut enim ex hoc præcisè, quòd alter indigeat tuo tritico, rogétque te, ut vendas, non licet ei vendere suprâ summum pretium, ut cum *D. Th. a. 1. Scotto in 4. dis. 15. num. 2.*

Nav. Less. Laym. docet communis & certa, ita etiam ex solo hoc capite, quod quis in necessitate forsitan constitutus rem suam ementem alteri offerat, minoris emi nequit, *Molina. Lug. num. 91. Reiffenstul. num. 167. Leu-
ven. q. 282. num. 4.* quia tamen plerumque res ex recensitis circumstantiis adest, invaluit verum illud: *Merces ultronea vilescunt.* Res, quae sub hastâ venduntur, seu foro scrutario, admittunt pretium, quodcumque sine fraude torqueri potest; unde augetur quandoque supra summum, quandoque vilescit intra dimidiam; neque per hoc committitur injustitia, quia sic longo usu, & communi consensu prescriptum est, *Laym. Dian. Spor. num. 23.* Quasi pretio chyrographa ab ipso debitore, vel aliis emi possint, dixi à *num. 6. & Cas. prac. num. 25.* An res ob differendam solutionem supra justum pretium vendi possit, dixi *Cas. prac. n. 1.* Item an vilius emi ob anticipatam solutionem, *ibid. num. 23.*

11. Venditor debet tradere rem tempore & loco in contractu im-vel explicitè expresse, idque ab omni vitio liberam. Si tradat rem alienam etiam bonâ fide, debet stare de evictione, id est, servare emptorem in omnibus indemnem; idem est de emptore respectu pretii. Si tradatur ementa res vitiosa, debet ei fieri satisfactio, quanti scilicet interfuisset, rem non fuisse vitiosam. Si quis sit deceptus ultra dimidium, datur etiam actio in foro externo contra lædentem, ut vel rescindatur contractus, vel reducatur ad æqualitatem; quod si vitium rei sit manifestum, & omnium oculis obvium, ut si equus careat uno oculo, non est obligatio defectum manifestandi, debet

ta-

tamen propterea equus minoris vendi; si rei vitium rei sit occultum, aut emptor ex naturali stupiditate illud advertere non possit, manifestari debet; quod à fortiori tenet, si res non tantum sit vitiosa, sed etiam damnosa, ut si vendantur oves morbidæ, domus ruinosa, medicina noxia &c. aliàs venditor non tantum debet satisfacere pro vitio rei, sed & pro omni damno inde secuto, *Nav. Salon. Leuren. q. 290.* Si res non obstante vitio ementi æquè esset utilis & commoda ad finem ab emente intentum, ac propter huiusmodi vitium subtraheretur, quantum oporteret de pretio, non esset obligatio vitium manifestandi, quia nullum damnum fieret emptori, *S. Th. q. 77. a. 3. Laym. n. 19.*

11. 6. Si res duobus est vendita, & prior habet pactum cum venditore de re alteri non vendendâ, aut primus solvit pretium, tunc secundus non acquirit dominium, etsi rem habeat; quod si prior nondum exsolverit pretium, nec res eidem sit tradita, tradatur autem secundo, secundus acquireret dominium, & primus tantum habet actionem personalem contra venditorem, ut satisfaciat pro damnis, ob rem non traditam, illatis; excipe: nisi res primò vendita fuerit Ecclesie, vel Magistratui, tunc, quamvis ex post vendatur vel tradatur alteri, hic non acquirit dominium, quia Ecclesie, & Magistratus habent privilegium, ut ex nudâ emptione, donato, legato, sine traditione acquirant dominium, *l. ult. de sacros. Eccl.* imò si secundus emptor fraudulentè egerit conscius primæ venditionis, res à primo venditore intra annum, si adhuc existat, evinci poterit *l. 1. § seqq. ff. que in fraudem, Covar. Castropalao, Laym. l. c.*

7. De emptione rei furtivæ, vel alienæ multa 12.
 rei de restitut quibus hæc pauca adde: 1. Si emi-
 si, sive bonâ sive malâ fide, rem alienam, item
 vendis rem tuam erga pecuniam alienam à fure
 non mixtam pecuniæ suæ, in neutro casu sis domi-
 nus rei, vel pecuniæ alienæ, quia res clamat suum
 dominum. 2. Si bonâ, vel malâ fide vendas
 rem alienam, sis dominus pretii, etsi emens
 non fiat dominus equi; item fur alienâ pecuniâ
 emens merces, v. g. panem, vinum, &c. fit
 dominus mercium vendens tamen non fit domi-
 nus pretii, seu pecuniæ alienæ, sed debetur ei
 restitutio, seu indemnificatio, *Molin. Spor. Laym.*
num. 21, ubi id probat ex l. si vias 48. §. ult. ff.
de furtis, aliisque juribus. Dices: In tali casu
 error in substantiâ, vendens enim non vult
 tradere dominium mercis, nisi emens tradat do-
 minium pretii; sed non potest tradere dominium
 pretii alieni; ergo nec vendens intendit tradere
 dominium mercis; nec hîc quidquam operatur
 positivum, quia nequit supplere consensum
 in substantiam, qui de jure naturæ requiritur ad
 valorem contractûs, idque videtur clarè asserere
La Croix l. 6. p. 2. num. 694. quamvis hîc num.
91. teneat cum Laym. 32. Dominium non
 transferri ex vi contractûs, qui est, & manet
 simpliciter nullus, sed ex vi Legum, cum obli-
 gatione tamen satisfaciendi parti læsæ. Si emas
 malâ fide à venditore bonæ fidei, non sis dominus
 rei, venditor tamen dominus pretii, quia volun-
 tate transfers dominium in venditorem, ut quo-
 modocûnque habeas rem, quam sciebas esse alie-
 nam, venditor autem rei alienæ dominium trade-
 re non potuit, quia non habebat. 4. Si uterque
 est in malâ fide, contractus ex utraqûe parte est nul-

nullus, & reddi debet res domino, & pretium emptori; si emptor rem consumpsit, uterque in defectu alterius obligatur in solidum, prius tamen emptor, qui rem consumpsit, quia magis nocuit.

13. 8. Quamvis homo rudis nesciat pretium alicujus rei, v. g. gemmæ vel horologii, non tamen licet ea ab ipso emere infra valorem, quem habent in æstimatione communi, juxta hanc enim, & non juxta ignorantiam vendentis, taxandus est rei valor.
14. 9. Bona fidelium in bello injusto à pyratibus capta licitè emuntur, & in usus proprios convertuntur, ut habent Decreta S. Congreg. ab Urb. VIII. approbata; Ratio est dominorum præsumpta voluntas, qui res suas, quas recipiendi spem non habent, malunt esse in manibus fidelium, quam infidelium; quod maximè verum est, si emantur animo dominis restituendi erga refusionem expositi pretii.
15. 10. Si bona Ecclesiarum immobilia ab Hereticis occupata, à propriis dominis recuperari non possint, eò quòd v. g. sita sint in territorio Principis A catholici, licitè emuntur à Catholico ob consensum Papæ, & dominorum voluntatem prudenter præsumptam, si bona sint mobilia, v. g. paramenta, cruces, calices, aut etiam immobilia, quibus spes est redeundi ad dominos suos, emi debent cum animo restituendi erga refusionem pretii.
16. 11. Monopolium Græcè, Latinè unius emptio dicitur, cum unus vel pauci sibi solis arrogent jus vendendi certas merces, ità ut omnes alii ab ipsis, pretio, quo ipsi voluerint, emere cogantur, idque fieri potest vel autoritate publicà ex causa boni communis, & tunc certum est, hujus-

huiusmodi monopolia licere; ut si à Magistratu,
 soli concedatur venditio vini, impressio
 libri, &c. servato tamen iusto pretio, *Spor. num.*
 103; *Mezg. hic a. 3.* Vel autoritate privatâ,
 cum unus vel alter vili pretio comparant omnes
 merces, ut postea vendant summo pretio, &
 hoc monopolium licere, dummodo non utantur
 vi vel dolo, neque sint causa, quòd crescat taxa
 ultra summum pretium iustum, quod res habe-
 rent antè monopolium, probabiliter docent
Molin. Lug. num. 170. quia ita videtur fecisse
 Joseph, Prorex Ægypti; & talis utitur jure suo,
 nec impedit, quòd minus etiam alii sibi maturè pro-
 videre poterint; communissima tamen senten-
 tia docet, hoc monopolium ad minus esse contra
 iustitiam; imò juxtâ *Rebell. Sotum, Nav. Va-*
len. Sylv. Laym. Spor. l. cit. contra iustitiam
 & bonum commune cum obligatione restitutio-
 nis, quia sunt causa, quod pretia rerum augean-
 tur in damnum reipublicæ, & inopiam civium,
 qui merces coguntur carius emere; idque à potio-
 ri tenet, si plures conveniant de mercibus coe-
 mendis, & non vendendis, nisi determinato
 pretio, idèdque id meritò sub confiscatione bo-
 norum prohibuit Jus Cæsareum, *L. unic. c. de*
monop. Nec obstat exemplum Josephi, quia ejus
 emptio non fuit causa, quòd pretium frumenti
 creverit, sed subsequuta sterilitas; fiebatque ejus
 emptio autoritate publicâ, scilicet Pharaonis, ob
 bonum commune, ne tempore sterilitatis subditis
 decissent necessaria frumenta.

12. Qui fraude alium inducit ad rem carius
 emendam, v. g. spargit falsum belli rumorem
 vel navium submersionem, tenetur ad restitu-
 tionem damni, quod *Lugo* extendit ad merca-

tores, qui non sunt causa vel conscii facti rumoris. Rationem dat, quia quamvis ob talem rumorem iudicio communi merces plaris aestimatur, tamen talis aestimatio Reipub. non est voluntaria, sed per dolum extorta. Qui, ut alluciant emptores, mentiuntur, vel etiam falsò jurant, se eandem merces minoris vendere non posse, sibi ipsis plaris constare &c. communiter ab onerestatione excusantur, dummodò maneat intra fines iusti pretii. Ratio est, quòd ementes sciunt, talia communiter falsò dici, idòque impudent sibi, quòd credant.

18. 13. Quæstores, Secretarii & Ministri Principum vel mercatorum, si se difficiles exhibeant in solvendis Dominorum suorum debitis, ut sic alluciant ad danda munera, aut ad vendenda sibi, vel aliis debita vili pretio, sunt causa iniusta talis donationis & damni, tenenturque ad restitutionem, &c. Sed quid, si quæstor Regis non possit solvere omnibus creditoribus, sed tantum aliquibus, an poterit aliquid accipere à Cajo, ut huic potius solvat, quàm alteri? R. Negative, si enim aliquid acceptet, non solvit totam summam debitam, quam ex officio solvere tenetur, nec Caju dat liberè, sed metu non accipiendi debitum. Si tamen post solutionem daretur aliquid planè liberè in gratiarum actionem, hoc acceptari posset.

Dices 1. Qui potest eligere ad officium hunc vel illum, potest aliquid accipere, ut inter æquè dignos eligat hunc præ illo, uti dixi Casu 28. num. 5. quia neuter habet jus, ut eligatur præ alio, & præligi est pretio aestimabile; atqui unus creditor etiam non habet jus, ut præferatur alteri in solutione, ut supp. & præferri est utile & pretio aesti-

abile : ergo. R. N. C. Dispar. est : quod neuter habeat jus strictum ad officium, quilibet autem habet jus ad recipiendum debitum totum, si ergo aliquid det, ut recipiat debitum, non recipiet totam summam ex justitiâ debitam.

Dices 2. Tertius potest aliquid exigere, ut Quæstorem permoveat ad potius mihi, quam alteri solvendum, ergo & ipse Quæstor, dummodo per ipsum non stet, quò minus possit solvere omnibus. Nec obstat. quòd Quæstor obligetur ex officio solvere creditoribus sui Principalis, nam non obligatur ex officio huic præ illo : ergo potest aliquid accipere, ut hunc alteri præferat. R. Quæstor ex officio quidem non tenetur unum alteri præferre, tenetur tamen cuilibet solvere totam summam, quod non facit, si aliquid recipiat, hoc autem non tenet in tertio, uti patet.

14. Qui emit etiam ignoranter rem hypothecam, vel censui obligatam, tenetur censum solvere, quia res transit cum suo onere reali, emptor tamen, si bonâ fide processit, potest in conscientiâ contractum rescindere, vel à venditore petere satisfactionem ; in foro externo non rescinditur contractus, nisi mutuo contrahentium consensu, vel si una pars probet, se læsam ultra dimidium.

15. Qui emit rem immobilem, debet pati, ut consanguinei vendentis rem intrâ annum & diem, à die cognitæ alienationis, refuso pretio ac expensis utilibus & necessariis, si velint, retrahant, *Ex l. 3. §. 17. num. 24. Gail. l. 2. obs. 19. num. 11.* Si eos dolo impediatur, v. g. dicendo, se emisse pro se, cum tamen emerit pro alio, aut se solvisse mille, cum tantum solverit sexcentos, tenetur ad omne damnum emergens.

P

16.

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II.

16. Qui falsâ monetâ emit aliquid, sive bonâ, sive malâ fide, tenetur in conscientiâ aliam monetam substituere, quia est error in substantia ex parte venditoris, qui debet indemnificari; nec obstat, quod ipse emptor etiam sit deceptus, nam propterea non licet decipere alium innocentem.

21. 17. Clericis in Sacris constitutis, & Religiosis omnibus prohibita est negotiatio, c. 6. ne Clerici vel Monachi, ita ut graviter peccent, non præcisè si semel, vel iterum lucri causâ aliquid emant, & iterum vendant, hoc enim in odiosis non venit nomine negotiationis, nec est magna irreverentia, præsertim si in occulto, & sine scandalo fiat, sed si notabilem operam negotiationi adhibeant, *Less. Fillint. Diana*. Negotiari autem hîc significat, rem emere eo fine, ut integra, & non immutata cariùs cum lucro vendatur; quænam autem actiones in particulari sint negotiatio Clericis prohibita, difficile est definire; multùm hîc valet æstimatio & sensus communis, ex quo una actio, vel venditio censetur statum Clericalem graviter dedecere, & non altera.

Hinc deducuntur sequentia; 1. In Germaniâ licitum est Monasteriis vendere transeuntibus per famulos panem, vinum, cerevisiam, ex propria lana facere pannum, & vendere, Dico: Ex propria lana; nam id fieri ex lana emptâ, plerùmque judicatur esse negotiatio prohibita, nisi hoc fiat ad honestam sustentationem, vel occupationem, non verò lucri gratiâ; sic enim Monachi leguntur fecisse sportas, Corbes, imò & Apostoli scenofactoriam exercuisse.

2. Excusatur Clericus saltem à mortali, qui se-
cundo scandalo per contractum societatis contri-
bit pecuniam, & mercator suam industriam, ut
lucrum resultans dividant, *Lug. num. 24. Laym.*
40. Spor. n. 102.

3. Plures excusant eos, qui emunt pecora, ut
lucris saginata carius vendant, quia res non ven-
ditur integra, sed immutata, quæ ratio univer-
siter non tenet, aliàs enim Religiosi & Clerici
per modum mercatorum sericum & lanas emere,
quascunque fabricas & officinas erigere pos-
sunt ad texendas telas sericas, laneas & similia,
ita venderent lanas & sericum immutatum, quod
non admittit.

4. Excusantur œconomi, qui pro propria œ-
conomia plura vina, frumenta, oleum, &c.
emunt, & ex post mutato consilio etiam cum lu-
cro vendunt, dummodo ab initio sincerè eme-
rent non animo revendendi cum lucro, sed ne co-
ntrahatur ex post carius emere. *Lug. n. 25.*

C A S U S L V I .

De Contractu Censús.

Johannes varios emit censús : 1. Reales, perso-
nales, ex unâ vel utrâque parte redimibiles.
2. Res censita sit infructifera, vel perit. 3. Res
censita venditur in scio censuistâ, & capitale reddi-
tur per partes. 4. Petit annuò septem pro 100 vel
magis, & que asscurato pretio. 5. Etsi pensio à venditore
sit redimibilis. 6. Etsi pensio à venditore
sit redimibilis. 7. Emit censum antiquum mi-
nus pretio. 8. Fingit se censum redimere vele,



ut minuaturs pensio. 9. Ex frumentis & pensionibus à censuario debitis novum exigit censum. 10. Censui adjicit pactum assecurationis, pactum commissorium, rescissorium. 11. Cedit domum suam Petro, ut hic annuo solvat 100. 12. A Petro accipit mille eâ conditione, ut ex quolibet 100 solvat annuo decem. 13. Sed Petro ante finem anni mortuo nihil solvit heredibus. 14. Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit Censu?

I. R. Est contractus, quo quis sibi pro certa pecuniæ summa emit jus ex re, vel persona aliena percipiendi pensionem annuam; jus fundatum in re aliena, v. g. domo vel agro, vocatur census realis, & cum re pereunte regulariter perit; jus fundatum in persona vocatur census personalis, quia immediatè obligat personam; qui vendit censum, & pensionem solvit, vocatur censuarius; qui emit jus accipiendi pensionem, vocatur censuista, vel censualista; id, in quo census fundatur, vocatur res censita.

Census dividitur ulteriùs in resignativum, & consignativum. Censu resignativus seu reservativus est pactum, quo quis in alium transfert dominium tam directum, quàm utile rei, reservata sibi pensione annua solvenda ex re translata; consignativus est contractus, quo quis sibi consignat, vel emit jus annuæ pensionis percipiendæ ex re, vel industriâ alienâ.

Iterum alius est censu pecuniarius, in quo solvitur pensio pecuniaria; alius fructuarius, in quo solvitur pars fructuum.

Denique alius censu dicitur redimibilis, qui habet adjunctum pactum revenditionis, vi cuius emptor seu censualista, reddita sibi summa expolita pro censu, tenetur revendere, & cedere iuri, quod habet ad pensionem annuam; irredimibilis

est, qui non habet adjunctum ejusmodi pactum. In dubio, an census sit, vel non sit redimibilis, præta Gomez Cov. l. 3. variar. c. 10. num. 4. censeri debet irredimibilis; cum enim constet de venditione, & non de adjuncto tali pacto, factum, seu adjunctio talis pacti, non præsumitur. Melias dicit Lug. ad circumstantias esse attendendum, v.g. an soleant in tali loco constitui census redimibiles vel irredimibiles, item quo pretio census emptus sit, nam in censu redimibili minus pretium datur; si ex circumstantiis nihil colligi possit, dicit, præsumi irredimibilem. De censu realitio, qui propriè census non est, dicam in resolutione Casûs.

QUÆR. II. An & qualis census sit licitus? 2.

R. 1. Certum est, censum realem, irredimibilem, vel tantum redimibilem ex parte venditoris, esse licitum. Constat ex Extrav. Martini V. de Calixti III. de empt. & vendit. Ratio est, quia pro isto pretio emitur jus percipiendi fructus ex alterius re fructiferâ.

Dices: In censu perpetuo, pretio finito emitur jus ad pensiones in infinitum, quæ decursu temporis longè superaturæ sunt pretium, ergo est inæqualitas pretium inter & mercem. R. N. C. nam periculum amittendi censum aut pensiones etiam est perpetuum, uti & carentia pretii, et quâ etiam in perpetuum cessat lucrum, vel emergit damnum; sicut ergo pretio finito licitè emo agrum cum jure perpetuo ad ejus fructus, sic & jus ad pensiones in perpetuum.

R. 2. Etiam licitus est census realis & personalis ex utrâque parte redimibilis, vulgò Germanicus, Abb. in c. 6. de cens. num. 7. Cor. 3.

sup. Salas dub. 3. de cens. Valent. Gabriel, Satus, Bannes, Salon, Sylv. 2. 2. q. 78. a. 4. Less. l. 2. c. 22. dub. 4. num. 8. Laym. hic c. 18. Sporer t. 6. c. 6. Metzg. tr. 13. d. 43. a. 2. num. 8. con. Nat. Angel. Molin. Lug. d. 27. num. 25. Ratio est, quod talis census non sit palliatum mutuum, ut prætendunt Advers. sed vera emptio & venditio, quâ justo pretio à lege, consuetudine, aut iudicio prudentum taxato emitur verum jus ad pensiones annuas, ex re vel personâ censitâ percipiendas; sicut ergo aliæ emptiones, in quibus servatur æqualitas pretium inter & mercem, sunt licitæ cum pacto revenditionis, sic & contractus census. Deinde jus ad pensiones ex re, vel industriâ personæ alienæ, est pretio æstimabile, potestque gratis donari, legari, &c. ergo & vendi; sicut juxta omnes vendi potest census fructuarius, seu jus percipiendi aliquos fructus ex alieno prædio, cur non jus percipiendi aliquod locum ex negotiatione vel industriâ alterius personæ? Deinde ille census à totâ Germaniâ, Belgio, aliisque Provinciis est usu receptus, à doctissimis Theologis, & sententiis summorum tribunalium approbatus, & ideò summi Magistratus & Principes censentur ex jure alto pro bono commerciorum & Reip. gravare censuarium ad solvendam pensionem, sicut eodem jure in præscriptione transferunt integra rerum dominia *Havn. tr. 9. num. 421. Metzg. num. 10.* Differt autem contractus census à locato, & emphyteusi; quòd in his accipiatur pensio ex re propriâ, & alteri concessâ quòd solum usum, vel dominium utile, hic ex re alienâ: item à mutuo, quòd in eo nulla solvatur pensio.

Dices : In censu personali redimibili non emittitur jus reale, ut in censu fructuario, sed sola persona, quæ capitale levat, tenetur post annum reddere capitale cum 5. in 100. si alter velit ; sed hoc est verum mutuum, & palliata usura : ergo.

2. Emuntur pensiones in futurum, quæ cum tempore excedunt ipsam sortem ; si ergo fors insuper repeti posset, sæpè triplò plus repeteretur quàm datum esset, quod est iniquum.

3. Pius V. aliique Pontifices prohibent census personales redimibiles.

Ad 1. N. Aff. Nam emitur jus ad percipiendum aliquid ex negotiatione, & industriâ alterius, & illud jus non fundatur immediatè in persona, sed in industriâ, ideòque si persona nihil ex se, aut ex bonis suis lucrari possit, cessat obligatio solvendi pensionem, nisi hæc fuerit à contractu assicurata, quod certè non tenet in mutuo.

Ad 2. Non emuntur ipsæ pensiones, sed jus ad liras, seu potiùs jus ad lucrum, quod homo industrius ex operâ suâ sperat ; jus autem ad pensiones vel lucrum, non tanti æstimatur, quanti pensiones actu præsentis, imò quò pensiones sunt in spe remotiores, tantò sunt minùs æstimabiles, & plerumque majori pericùlo expositæ.

Ad 3. Istæ constitutiones, in quantum contingunt jus naturale, in Germaniâ, & Galliâ & Belgio non sunt receptæ, uti ex praxi certum est, *Pyrrh. l. 5. t. 19. num. 84. Platel. Salas, Sylvius Less. l. c. Ilfung. t. 4. d. 2. num. 547. Spor. num. 11. & alii cit.*

Inst. Jus ad domum vel pecuniam post annum certò tradendam tantum valet, quantum ipsa domus vel pecunia præsens; nam si pecunia præsens melior esset quàm jus ad pecuniam post annum tradendam, posset in mutuo aliquid accipi supra sortem, ut clarum est ex dictis *Cas. § 4. num. 11*; ergò jus ad pensiones tantum valet, quantum ipse pensiones, ergo si pensiones cum tempore superent capitale, aliquid accipitur supra sortem, quod est usurarium.

§. 1. Hoc argumentum etiam oppugnare censum realem irredimibilem, in quo pensiones etiam cum tempore superant capitale.

§. 2. N. C. In mutuo emitur jus ad similem summam, seu emitur pecunia pro pecunia, in censu emitur partiale jus utile, ad fructum ex re, vel lucrum ex industriâ alterius singulis annis percipiendum; & cum hoc lucrum possit esse magnum & incertum, commutatur erga pensionem parvam, & certam, ut in simili explicavi *Cas. § 4. num. 19*.

QUÆR. III. Quæ conditiones requirantur, ut census sit justus?

4. §. Seqq. 1. Ut census realis constituatur in re fructiferâ, quæ subtractis laboribus & expensis sufficiat ad solvendas pensiones annuas, aut si sit personalis, constituatur in personâ, quæ ex suâ industriâ, negotiatione, aut aliis redditibus tantum lucretur, ut censualista satisfacere possit. Ratio est, quia aliàs censuarius facit injuriam censualistæ, vendendo ei jus ad pensiones, quas ex re, vel personæ industriâ percipere non potest; aut si censualista desuper notitiam habeat, erit purum mutuum, & palliata usura; unde in his partibus pro majori cautela

constitui solet census mixtus fundatus in personâ
simul & ejus bonis.

2. Si res censui subjecta pereat culpâ censuarii,
tenetur reddere pretium censûs, vel censum in alia
re constituere; si verò pereat sine culpa censuarii,
et in perpetuum facta est infructifera ex toto, vel
ex parte, etiam census, nisi affecuratus sit, ex
toto vel ex parte censuistæ perit. Ratio est,
quod res regulariter pereat suo domino; sed
censuista, seu emens censum, est dominus
censûs, seu juris, quod habet ad pensionem
annuam; ergo si hoc jus, pereunte re censi-
ta, sine culpa censuarii pereat, perit censui-
sta. Dixi, aut in perpetuum facta est infrugife-
ra, nam si unâ vel altera vice fructus non
ferat, & damnum sterilitatis fertilitate alteri-
us anni compensetur, adhuc pensio solvi de-
bet; sic ex agro censito annuò solvi debet
pensio, etsi hic tertio vel quarto anno quies-
cat, nec fructus ferat.

3. Res censita non debet in scio emptore alie-
nari aut transferri in alium, à quo pensio difficul-
ter, aut minùs securè obtineri possit, quia emp-
tor habet jus fundatum in re censita, quod per ta-
lem alienationem redditur deterius, aut periculo
exponitur.

4. In censu redimibili pretium in una sum-
ma acceptum, non debet reddi per partes,
quia recipere pecunias suas membratim, ita
ut simul ad alium finem applicari non pos-
sint, est onus, in quod non consensit censuista,
ideoque ad illud cogi non potest per successivam
solutionem.

5. Pretium censûs debet esse justum, hoc est, 6.
non exorbitans à lege, consuetudine vel judicio

P §

pru-

prudentium. Et quidem Carolus V. pro Imperio Romano in Comitibus Augustanis anno 1545. pro censu perpetuo ex parte solius venditoris redimibili constituit 5. per 100. quod pretium ex receptissima consuetudine etiam nunc justum censetur pro censu reali & personali utrimque redimibili, etiam per venditorem assecurato, *Tamb. Navar. Metz. g. l. c. Sporer num. 29.* Nam si in contractu societatis ob spem majoris lucri, sed incerti, omnium consensu assecrari possint quinque in centum, cur non in contractu censûs?

7. 6. si pactum assecurationis, vel aliud gravamen non imponatur venditori, & census ad ejus libitum sit redimibilis, justè minori pretio emi, seu, quod idem est, major pensio constitui potest v. g. sex, aut etiam plures in centum. In censu non redimibili ex communi praxi duplò majus pretium dari solet, vel duplò minor pensio constitui, quam in redimibili, *Lug. n. 138. Spor. sup. La Croix l. 3. p. 2. n. 1012.* Ratio est, quòd sit magnum onus vendenti non posse pensionem redimere: ergo obinde pretium meritò augetur, vel pensio minuitur.
8. Sed quæres: An census antecedenter constitutus ex post minori pretio emi possit quàm emptus fuerit ab initio, v. g. Cajus pro 500. aureis ab initio emit pensionem annuam 25. aureorum, si Cajus indigens numeratâ pecuniâ offerat mihi jus suum, an justè illud emopro 450. &c. Id seclorâ lege specialiter prohibente, non esse illicitum; quia pretia rerum non consistunt in indivisibili, sed admittunt majus & minus, & res ultrò ablata vilescunt, quòd *Tamb. Dian. p. 2. l. 2. R. 36.* etiam extendit ad casum, quo pretia cen-

censûs à Principe, vel Magistratu sunt taxata; nam
 haec tantùm intelligitur de primâ constitutio-
 ne censûs, non autem, quando jam constitutus
 venditur, idque dicunt ubique ferè in praxi esse
 acceptum.

Dices: Debitum liquidum, secluso periculo
 damni, aut lucro cessante, non potest vilius emi,
 quâ obligatio censûs est debitum liquidum: er-
 go, Maj. patet ex dictis *Casu 54. num. 26.* quia jus
 ad pecuniam liquidò solvendam, secluso damno,
 libetque periculis, non minus valet, quàm ipsa
 pecunia præsens, aliàs in mutuo, ubi erga pecu-
 niam præsentem datur solùm jus ad pecuniam in
 futuro solvendam, possem aliquid exigere ultra
 sortem.

Census est debitum liquidum ad solvendam
 pecuniam pro pecuniâ, ut fit in mutuo, N. est de-
 bitum ad solvendas pensiones annuas, C. jus autem
 ad pensiones annuas potest per modum mercis ex-
 vendi venale, & tunc per accidens recipit aliam æsti-
 mationem, admittitque pretium majus & minus,
 quod habet communis cum *Less. c. 22. n. 27. Dian. l. c.
 La Croix. n. 1013.*

Sed quid de hoc casu satis obvio? Titius ex cen-
 su debet Cajo annuò solvere 5. per 100. & quam-
 vis nec animum nec pecuniam habeat ad redimen-
 dum censum, tamen fingit se eum velle redimere,
 pro meru inductus Cajo remittat vel diminuat pen-
 sionem, & deinceps loco 5. accipiat tantùm 3.
 vel 4. an peccat Titius contra justitiam cum onere
 restituendi integras pensiones, affirmant *Tamb.
 Lajo, Sporer num. 31.* quia Titius suo dolo
 injustè causat hanc pensionis diminutionem,
 neque Cajo eam remittit liberè; quod ve-
 rum est, si Titius nec pecuniam habeat, nec
 alibi

alibi erga pensionem habere possit; nam si alibi habere possit, quamvis revera animum non habeat, alibi accipiendi & censum redimendi; sed solum fingat, se id velle, ut Cajum inducat ad diminuendam pensionem mentitur quidem, sed non tenetur ad restitutionem, quia revera habet jus accipiendi pecuniam alibi & censum redimendi à Cajo, ut suppono; neque huic jurigratis cedere tenetur; *nec obstat*, quòd Cajo errore minuat pensionem, non diminuturus, si sciret Titio denuntiationem non esse seriam; nam error vel dolus hic non est circa substantiam vel motivum principale; ideo enim Cajo minuit pensionem, ut Titius non utatur jure suo ad redimendum censum; hoc autem Titius facit, non utendo hoc jure suo, quod revera habet, ut supponitur, ergo. *Confirmatur* si Cajo in crimine deprehensum fidei mineris accusare, & hic det tibi aliquid eo fine, ut non accuses, datum retinere potes; quia habes jus accusandi; cui gratis resignare non obligaris, ut dixi *Cas. 29. n. 18.* atque Titius etiam habet jus redimendi censum & revera redimere posset, si veller alibi pecuniam levare, ergo. His præmissis.

Ad Casum 32. 1. Qualiter constitui, & quo pretio emi possit census redimibilis aut irredimibilis, realis & personalis, constat ex Q. 2. & 3.

10. 2. Ex frumentis à censuario liquidò debitis, si erga pecuniam taxentur, secluso dolo aut speciali prohibitione, licetè census emi potest; imò si Petrus Joanni 100. debeat ex capitali, & tantundem expensionibus non solutis, spectato jure nature possent Petrus & Joannes convenire, ut pensiones debitæ annumerentur capitali, ita ut Petrus

loco quinque jam debeat solvere decem, Nav. Salon. cont. 8. Salas dub. 7. de cens. Less. dub. 12. Ratio est, quia pecuniæ, quas alter mihi nunc debet extradere, æquè multum valent, quàm si modo essent extraditæ; sicut ergo possum à meo debitore novum censum emere, si mihi 100. ex pensionibus extradidisset, sic etiam si 100. non extradiderit, dummodo in præsentì debeat; deinde pro pecuniâ debitâ possum à debitore emere merces, cur non & novum censum? Dixi: Speculo jure naturæ; nam in foro externo ordinariè præsumeretur fraus vel usura; unde & Pius V. id absolute prohibuit, quæ prohibitio servanda, ubi est recepta.

3. Contractui censûs licitè apponi possunt alia II. pacta, ut primò, pactum assecurationis, vi cujus venditor censûs sumit in se periculum rei censitæ, ut si res censita etiam sine suâ culpâ pereat, nihilominus teneatur solvere pensionem. Secundò, licitè adjicitur pactum commissorium, ut si intra certos annos censuarius sua culpâ pensionem non solvat, res censui subjecta cadat in commissum; hoc est, fiat illius, qui emit censum; debet tamen pœna proportionari culpæ, ita ut pro parvâ pensione non solutâ, res magni valoris in commissum non cadat, debet etiam propter pactum assecurationis, & commissorium, cum cedant in gravamen vendentis, pretium augeri, vel pensio minui, aliàs non esset æqualitas. Tertio, addi potest pactum rescissorium, vi cujus venditor tenetur emptori rescisso contractu reddere pretium, si pensionem intra certos annos non solvat; item potest venditor obligari, ut, si velit redimere censum, emptorem præviè moneat, aut censum redimat in eadem monerâ, quæ

quæ data fuit, etiam si ejus valor crescat, vel decrescat, nec propterea opus est augere pretium, dummodò æquale sit periculum in- & decrementi, quia tunc accedit novus contractus sortis, in quo utrimque est æqualis spes lucri & damni. Vide dicta C. 54. n. 4.

12. 4. Si Joannes Paulo cedat domum tantum quoad dominium utile erga 100. Imper, ad certum tempus annuò solvendo, videtur in- iſſe contractum locationis, & tenetur Paulus post mortem Joannis ejus hæredibus restituere domum, & pretium locationis pro rata temporis, ut clarum est; si verò cessit dominium domûs directum & utile cum obligatione ex eâ ad dies vitæ annuò percipiendi 100 est census ex parte resignativus, ex parte vitalitius.
13. 5. Census vitalitius est contractus, quo quis dat certam pecuniæ summam, v. g. mille Imperiales, vel etiam rem, v. g. domum valentem mille, eâ conditione, ut, quamdiu vixerit, ex quolibet 100. accipiat 10. itaque ex mille accipiat annuò 100. sic tamen ut censuistâ moriente ipsum capitale simul emoriatur, in quo census vitalitius præcipuè distinguitur ab aliis censibus. Hic contractus est justus & licitus, ut habet communis cum *D. Thom. opus. 72. c. 9.* quia non est propriè census, in quo ematur jus recipiendi aliquid ex re aliena, sed potius est contractus sortis vel sponſionis, in quo uterque contrahens exponit se æquali periculo lucri & damni ob incertitudinem mortis; quò tamen mors censualistæ, judicio prudentium, consideratâ scilicet ætate, complexione modo vivendi, aliisque circumstantiis, videtur esse propior,

et pensio annua debet esse major; econtra
 pro vita præsumitur futura longior, eò pen-
 sio debet esse minor, quia aliàs non esset
 principale periculum perdendi, & lucrandi. Si ^{14.}
 censuista vitalitius ante elapsum annum mo-
 ratur, pensio pro ratâ temporis probabiliùs
 debetur hæredibus, ut si vixit tantùm novem
 menses, debeatur portio respondens novem
 mensibus. Ratio est, quòd quamvis census
 vitalitius sit personalis, cessetque moriente cen-
 suario in alimentationem, ideo quamdiu
 vivit, sicut ei debetur alimentatio ex illa pensio-
 ne, sic & ipsa pensio, ut patet à pari in pen-
 sione, quæ Clerico in sustentationem assigna-
 ta, quæ ex communissimâ debetur Clerico pro
 ratâ temporis, quo vixit, etsi terminus solu-
 tionis constitutus nondum advenerit, *Garcias p.*
l. 1. num. 120. Deinde si censuista ordi-
 narius moriatur intra annum, debetur ejus hæ-
 redibus pensio pro rata temporis elapsi:
 ergo etiam si moriatur censuista
 vitalitius, *Castrop. Haun.*
apud La Croix.
num. 1023.



CASUS

CASUS LVII.

De Cambio, Locato, & Con-
ducto.

K Radus varia init cambia : 1. Manuale. 2. Litterale. 3. Reale. 4. Siccum. 5. Francofurtense. 6. Ex cambio aliquid accipit, est pecunia eius sint otiosa. 7. Aliquando plus, aliquando minus exigit, & contra prohibitionem Principis cambisatur. 8. Ejus famuli pecunias pro dominoreceptas, vel aliis solvendas permutant, iisdem cambisantur. 9. Domus, agros elocat. 10. Sed expensas rei locata ferre renuit, nec tempore sterilitatis depachtâ aliquid remittit. 11. 12. 13. Conductorem ante tempus ejicit, operam suam pluribus locat. 14. Famulis, quia ante tempus servitium suum deseruerunt, vel ab ipso dimissi sunt, nihil solvit. 15. Vel saltem subtrahit tempus absentia & agritudinis, & tempus, quo ipse eis operas assignare noluit, vel non potuit. 16. Locationes sui antecessoris retrahat. 17. 18. 19. Et pretium ob rei locata meliorationem auget. Pro Resol.

QUÆR. I. Quid, & quotuplex sit cambium ?

- I. R. 1. Cambium est permutatio pecuniæ cum lucro illius, qui in gratiam alterius pecuniam permutat; qui petit cambium, vocatur cambiarius, qui dat, vocatur cambisor, hic contractus perficitur mutuâ pecuniæ traditione, distinguitur præcipuè à mutuo, quòd in mutuo detur pecunia præsens pro futura; & quia pecunia futu-

habet omne periculum, damnum, lucrum celans, aut alius titulus, non minus valet quam præsens, ideò in mutuo nihil supra summam mutuatam peti potest; in cambio autem datur pecunia vel præsens pro præsenti, sed in aliâ specie, vel in alio loco, & propterea lucrum licitè accipi potest, uti jam dicitur.

2. Cambium præcipuè est quadruplex: 2.

1. Cambium manuale, cambium per litteras, cambium reale, cambium siccum, vel fictum.

1. Cambium manuale, quod etiam minutum dicitur, est, quando in præsenti de manu ad manum pecunia permutatur, v. g. major pro minori, argentea pro aureâ, nova pro antiquâ, patria pro peregrinâ, &c. Hoc cambium est licitum, cum modo servetur justum cambii pretium à lege, et communi prudentum æstimatione taxatum; ratio est, quòd industria, quam habet cambsorum habenda, & numeranda omnis generis pecunia, sit prætio æstimabilis, cambsario utilis; item pecunia est magis commoda ad hunc vel illum locum, ad has, vel illas merces, faciliùsque huc illuc transferri potest: ergo pro hoc justè aliquid exigi potest.

2. Cambium per litteras, seu ad locum pariter licitum est, cum scilicet cambsorum hinc Coloniae recipit pecuniam, quam per suum correspondentem obligatur solvere v. g. Romæ erga certum personam. Ratio est, quòd hoc casu cambsorum pecuniam cambsarii suo periculo & industriâ virtuate transferat Romam, hoc autem est utile, & prætio æstimabile, sicut si operam suam locaret ad deferendam pecuniam Caji suo periculo personam Romam, posset exigere pretium operæ &

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom II.

& periculo æquipollens, sic & nunc pretium æquivalens virtuali translationi, quod tamen semper minus esse debet, quàm si réaliter transferretur.

4. 3. Justum pariter est cambium reale, quo cambsor in loco, ubi est, v.g. Colonia, dat pecuniam cambsario refundendam alibi, v.g. Romæ, ubi cambsarius pecunias habet, pro nunc autem híc indiget Colonia. Ratio est, quia tunc cambsor tantundem facit, ac si pecuniam Caji Româ transferret Coloniã, et que præsentem sisteret, quod certè est pretio dignum.
5. 4. Cambium fictum, seu fictum est, quando fingitur aliquid ultrà sortem accipi ratione cambii, & reverà accipitur ex puro mutuo, adeoque est usura; ut si indigeas pecuniã Colonia, & cambsor non velit eam dare nisi Francofurti, ubi scit, te non habere nummos, neque correspondentem, ut sic cogaris dare pretium cambii pro tali loco. Ejusmodi cambium videtur esse, quod vocatur Placentinum, vel Vesuntinum, ita dictum ab urbibus, in quibus primò practitari cœpit; fit autem hoc modo: Titius Vesuntii à cambsore accipit 100. cum obligatione reddendi 110. Colonia, ubi Titius nec pecuniam, nec correspondentem habet, petit igitur, ut cambsor agat cum suo Factore, quem habet Colonia, ut debitum Titii in se suscipiat, sibi que per novas cambiales injungat solvere nomine suo cambsori Colonia 120. quod vocatur cambium cum recambio, quam praxin tanquam scandalosam, & charitati manifestè repugnantem damnant Pius IV. apud Cherub. & Pius V. apud Nav. c. 17. num. 200. Ratio est, quod

line justo titulo bis à Titio exigatur pretium cambii; titulus enim, qui prætitur, est virtualis translatio pecuniæ, sed hîc pecunia Titii Coloniâ virtualiter non transfertur Vesuntium, quia Titius ibidem nullam pecuniam, nec correspondentem habet, nec ibi pecuniâ indiget, ut supponitur: ergo.

5. Cambium Francofurtense exercetur in 6. hanc modum: Cambsario exigenti cambium ad nundinas Francofurt. cambsior prior numerat pecuniam, v. g. Coloniæ, eâ lege, ut cambsarius suis sumptibus eandem in nundinis Francofurtensibus rependat cum auctuario, & quidem eò maiore, quò longiùs absunt nundinæ; hoc cambium, si non adsint alii tituli extrinseci, v. g. lucrum cessans, damnum emergens, periculum fortis, *Suar. Lug. Platel.* aliique vocant usurarium. Rationem dant, 1. quia hîc non est virtualis translatio pecuniæ, au locatio operæ ad translatioem, quia cambsarius ipsemet eam Francofurtum transfert. 2. Si non adsit titulus extrinsecus, videtur aliquid accipi purè ratione dilatae solutionis, vel distantia temporis; quò enim plus distant nundinæ, eò plus accipitur: sed accipere aliquid ratione dilatae solutionis est usurarium, ut patet ex *c. consult.*, *c. in civitate de usuris*: ergo. Contra *Molin. Less. Laym. hic num. 9.* & alii apud *Castrop. d. 7. p. 7. num. 3.* probabiliùs docent, cambium Francofurtense esse justum, nec continere usuram, quia pecunia ante nundinas plus valet, quàm tempore nundinarum; nam ubi est major pecuniæ inopia, & lucrandi opportunitas, ibi pecunia pluris æstimatur, atque quò magis distant nundinæ, eò major est inopia pecuniæ, majorque opportunitas lucrandi;

in nundinis enim est abundantia pecuniarum, ideoque tunc minus valent, quam tribus mensibus antecedenter; nam pecuniæ se hinc habent velut merces, quæ, cum abundantes sunt, & paucos habent emptores, vilescunt; sicut ergo sine usurâ possum mutuò dare, & repetere pecuniam secundum valorem, quem nunc habet, quamvis sciam post tres menses, quando pecunia est redenda, valorem esse diminuendum; cum ille valor, quem pecunia pro nunc habet, sit meus; sic & in cambio Francofurtensi possum petere valorem pecuniæ traditæ, quem habet pro nunc, quamvis ex post sit diminuendus, ita ut tempore nundinarum 103. fortè plus non valeant, quam ante tres menses 100. Unde patet, in cambio Francofurt. non accipi aliquid ratione virtualis translationis pecuniæ, aut ratione dilatæ solutionis, sed propter majorem pecuniæ valorem, quem habet communi æstimatione ante nundinas, qui titulus justus est. Et bene monet *Laym.* quòd cambia inter mercatores recepta etsi sæpè dissuaderi, non tamen facillè damnari debeant in justitiæ.

QUÆR. II. Quid ampliùs notandum sit circa cambium?

7. R. seq. 1. Justitiæ cambii non obstat, quòd cambioris pecuniæ, quas ad tuam petitionem tibi hinc Coloniae solvit, ipsi fortè sint otiosæ, e contra Romæ, ubi tu ei solvere debes, valde indigeat, ideoque quasi duplum, vel triplum lucrum reportet; nam hoc est per accidens, spectatque ad bonam ejus fortunam; sufficit namque, quòd tibi præster obsequium pretio æstimabile; sic si quis petat à te, ut ejus equum erga pretium reducas Coloniae, potes acceptare pretium, quamvis

tu ob propria negotia alias debuisses equum pro-
prios expensis conducere.

2. Pretium cambii debet esse justum attentis 8.
circumstantiis; nam in cambio minuto, quò pe-
cunia est melior, utilior, & comparatu difficilior,
majus potest esse pretium; in cambio locati &
reli, quò major est loci distantia, translatio pe-
culiosior, pecunia rarior, &c. eò majus lucrum
peti potest. Si justum servetur pretium, non vide-
tur esse mortale contra prohibitionem Magistra-
tus cambiare, nisi id cedat in damnum notabile
Communitatis, ut si bonæ pecuniæ exportarentur
extra patriam, viliores verò importarentur; tunc
contractum facillè fiet mortale, aliàs ad summum venialis
obediencia, *Spor hic à num. 43.*

3. Quæstores Principum, famulà, aut Offici- 9.
arios, si pecuniis domini ludant, cambiant, aut
inter negociando aliquid lucrentur, fiunt domi-
nii lucri, modò id faciant suo & non domini
periculo; quia hic fructus est industrialis, nec
peccant contra justitiam, si dominus rationabili-
ter creditur esse contentus, & creditoribus domi-
ni, quibus viliores species pecuniarum solvunt,
meliores non debeantur, nec dominus ob vilio-
res species cogatur merces cariùs solvere, uti sæpè
contingit; aut dominus velit creditoribus certas
meliores species solvi, sive ex amicitia sive ex
specie ulterioris mercimonii; tunc enim creditores
habent jus ad eas, nec potest præsumi consensus
Domini, aut creditorum. Item si servus pro do-
mino suo pecunias recipiens, eas permutet in vilio-
res, domino injuriam facit; quamprimùm enim
eas acceptârat, erant domini: ergo eo invito in
monetam viliores commutari non poterant.
Lag. d. 28. an. 24.

Q 3

QUÆR. III.

QUÆR. III. Quid circa locatum, ejusque obligationes?

10. R. 1. Locatum est contractus, quo alicujus rei vel personæ usus aut fructus ad tempus conceditur erga pretium. Dixi, quo alicujus rei vel personæ, quia non tantum res immobiles, ut agri, vineæ, domus, &c. sed etiam mobiles, ut equi, vaccæ, &c. imò opera & industriæ personarum erga pretium elocari possunt; qui concedit fructum vel usum rei, vocatur elocator, qui accipit, vocatur conductor.

11. R. 2. Obligationes elocatoris sunt sequentes:

1. Debet aperire vitia nociva rei, quæ ejus usum aut fructum impediunt, ut si ager ex natura sua sit sterilis, domus sit ruinosa, peste infecta, aut spectris horrida, pascua ferant herbas nocivas, &c. aliàs debet conductori stare de damno; hinc si equum sese in aquam mittere solitum locavit, tenetur merces exinde vitiatas refarcire, si conductorem non monuit; si tamen in ipse vitium ignoraverit, tantum tenetur reddere pretium elocationis, si alter re locatâ utiliter uti non potuit, non verò ad alia damna, *l. 19. ff. de locato & cond. Molin. Bonac. apud Reiffenst. l. 3. Decret. t. 18. n. 36.*

2. Tenetur ad expensas pro reparatione & conservatione rei, item ad onera rei imposita, ut vectigalia, contributiones, census, &c. possunt tamen per speciale pactum imponi conductori, sed tunc pensiones annuæ proportionaliter minui debent.

3. Periculum rei incumbit locatori, tanquam ejus domino, si pereat sine culpa conductoris, qui si sit in mora rem tradendi, vel ad alium usum adhibeat, quam concessa est, conductori perit.

4. Si ob sterilitatem, incursum hostium, vel grandinem, inundationem, &c, conductor circa suam culpam nullos vel exiguos fructus ex re conducta percipiat, debet locator pachtam vel pretium locationis ex toto vel ex parte remittere, iuxta consuetudinem patriæ ad arbitrium prudentium, ut ex jure probat *Abb. Less. l. 2. c. 24. n. 15. Pyr. l. 3. t. 18. n. 4.* nisi aliter sit conventum, aut sterilitas sit exigua, vel compensetur fertilitate alterius.

1. Non potest conductorem invitum private locatâ ante terminum præfinitum, nisi in his casibus: 1. Si in re malè versetur, v. g. non colendo agrum, arbores cædendo, &c, aut in domo detineat homines malæ famæ cum scandalo publico, tunc enim ante terminum elocationis ejici possit, & nihilominus pensionem solvere tenebitur usque ad terminum elocationis, si locator ipsum conductorem habere non possit; quia hoc damnum tunc oritur ex culpa conductoris. 2. Si per biennium pensiones non solvat. 3. Si ipse locator ex improvise re pro se, vel proximè committis æqualiter vel magis indigeat. 4. Si res v. g. domus debeat reparari necessario, & id altero inhabitante fieri non possit. Ita *cit. jur. Pyr. à. n. 12. Reiffenst. à. n. 57.*

3. Obligaciones conductoris sunt: 1. Solvere pensionem, vel mercedem tempore & loco im-
13.
vel explicitè convento.

2. Tenetur facere aliquas expensas non quidem pro reparanda vel conservandâ rei substantia, ad has enim obligatur locator, ut superius dixi, sed expensas necessarias ad percipiendos fructus, ut cultivare agros, vineas, stercorare, serere, metere, &c.

Q 4

3. De-

3. Debet finito locationis tempore rem reddere totam integramque, aliàs tenetur de damno, in quantum res sua culpâ deteriorata vel vitiata fuit. *Anth. cit.*

14. QUÆR. IV. Quid ampliùs hìc notandum circa obligationes locatoris, & locatarii seu conductoris?

ꝛ. Seq. 1. Qui pluribus operam suam in solidum locavit, v. g. plures petunt, ut pro iis feras litteras Coloniam, potes à singulis accipere integrum stipendium, nec teneris eis aperire, quòd jam ab aliis salariatus sis. Ratio est; quia opera tua singulis est æqualiter utilis; sic Procurator aut Agens causæ, pluribus suam operam locare potest, dummodo omnibus sufficiat; atque ita quotidie practicatur à Medicis & Causidicis, qui absque imminutione salarii operam suam pluribus elocant.

15. 2. Famulus vel alius, qui operam suam alteri elocavit, si ante tempus absque legitima causa discedat, perdit totum salarium. Econtrà si conductor famulum sine justa causa dimittat, vel famulus ob ejus savitiam, vel quia ad illicita allicit, spontè discedat, tenetur ei solvere totam mercedem, intellige, in foro externo post sententiam judicis; nam si famulus vel dominus exinde nullum damnum passi sint, eò quòd dominus æquè bonum famulum, & servus æquè bonum servitium statim invenerit, in foro conscientie merces solvi debet pro rata temporis, quia neuter damnum passus est. *Azor. Fillint. Less. Reiffensst. n. 90.*

16. 3. Si servus, artifex, &c. qui operam alteri elocavit, ab illo opere ad tempus impeditus fuerit, ob causam tenentem se ex parte servi, v. g. ab

obit ad sepeliendos vel visitandos parentes, ad
prosequendam suam litem, potest ei pro ratâ ab-
sentiæ subtrahi salarium; idem tenet, si infirmus
erit, nisi aliter sit conventum, vel consuetudo
contraria, uti est respectu Officialium, vel
Consiliariorum Principis, aut morbus tantum sit
ad unum alterumve diem, tunc enim, nisi ope-
rarii sint diurni, æquitas suadet, ut propter ta-
lem morbum nihil subtrahatur, *Nav. man. c. 17.*
num. 108. Azor. Less. l. c. nu. 7. Reiffenst. num. 97.
Ratio est, quod merces tantum detur propter
operas conductas, si ergo hæ non præstentur ex
defectu famuli, nec debetur merces. Econtrà si
ex defectu Domini famulus ab opera cessarit, eò
quod ei Dominus operas assignare noluerit, vel
non potuerit, & interim servus æquali mercede
operas suas alteri non locavit, tota merces ei sol-
venda est, *arg. leg. 38. ff. de locato. l. 2. ff.*
de his, qui. Ratio est, quia sicut servo non de-
betur merces, si ex suo defectu non præstet ope-
ram conductam, sic econtrà si id contingat ex de-
fectu Domini, debetur ei merces integra, *Lug.*
l. 29. sect. 3. Carpzov. p. 3. decis. 164. Leuv.
346.

4. Qui succedit in bona alterius tanquam hæ-
res, seu successor universalis, tenetur stare con-
tractui elocationis factæ à suo prædecessore, quia
facit cum eo unam in jure personam; ergo con-
tractus, ex quibus defunctus obligabatur, etiam
ipsum hæredem obligant, nisi expressè tantum
facti sint ad tempus vitæ. Item pupillus debet stare
locationi factæ à suo Tutore; Tutor, Prælati,
Beneficiarius stare locationi, emptioni, aliisque
contractibus initis à suis prædecessoribus. Econtrà
successor particularis, ut legatarius, donatarius,
emp-

Qs

emptor, rem legatam, emptam, donatam non tenetur relinquere sub priore conductore, sed potest alteri elocare, nisi specialiter conventum esset, ut res elocata maneret sub eodem conductore, etiam in casu, quo alium Dominum esset habitura; imò quamvis non adsit talis conventio, emptor non poterit expellere conductorem cum gravibus eius damno, privando v. g. eum fructibus, quos suo labore & expensis seminavit in agro conducto.

18. 5. Sicut successor particularis v. g. emptor eicere potest conductorem, sic & ille potest spontè cedere; quia huic ex contractu non est obligatus. De cætero, si conductor sine iustâ causâ ante terminum elocationis rem conductam, v. g. domum, derelinquat, debet vel novum conductorem accipere, qui Domino pensiones solvat, vel ipse solvere, etiam si domum non inhabitet.

19. 6. Si ager ob cæli clementiam, aut intrinsicam & naturalem meliorationem per plures annos fiat fructuosior, pensiones augeri poterunt, secus, si ob solam industriam coloni; hæc enim industria, cum non spectet ad Dominum, sed colonum, propterea pensio augeri non debet.



CASUS LVIII.

De Emphyteusi, Feudo & Libello.

[Actus variorum pradiorum usumfructum, tum gratis, tum erga pensionem obtinet, quaritur: An titulo emphyteusis vel locationis. 2. An emphyteusis concedi possit sine solemnitatibus Canonice. 3. Quid si res emphyteutica deterioretur, vel non solvatur canon, aut caducitas à Prelato remittatur. 4. Quid si res emphyteutica vendatur, in alium doneatur, vel non solvatur laudemium, vel transferatur in Ecclesiam. 5. Quid de feudo habentario & gentilitio. 6. Quid de petitione investiture & alienatione feudi. 7. Quid si emphyteusis vel feudum alteri elocetur, subfeudetur, commutetur, vel fructus non ferat. Pro Resolutione.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit emphyteusis?

1. Emphyteusis, Germanicè ein Erb. Zins, est contractus, quo res immobilis quoad dominium utile sub annuo canone ad minus ad decem annos conceditur. Dicitur 1. quoad dominium utile, seu jus percipiendi utilitatem, & fructus annuos; nam dominium directum manet penes illum, qui concedit rem suam alteri, & propterea vocatur Dominus directus, German. Grund. Herr. 2. cui res conceditur, vocatur emphyteuta, German. Zins-Mann. Dicitur 2. sub annuo canone; canon hic vocatur pensio, quæ Domino directo in recognitionem do-

dominii annuò penditur, sive in fructibus, sive in pecuniâ. Dicitur 3. ad minus ad decennium, in quo emphyteusis maximè distinguitur à locatione; nam si res infra decennium conceditur, non emphyteusis, sed locatio dicitur, sicut econtra si res immobilis locetur ad decennium, emphyteusis erit, etsi contrahentes utantur vocabulo locationis, *Reiffenst. hic num. 127.* An autem ad valorem emphyteuseos requiratur scriptura, non conveniunt Juristæ, attendenda est cujusvis loci consuetudo, quæ juri communi derogare potest. Si emphyteusis constituatur ad certos annos, vocatur temporalis, si ad dies vitæ, vitalicia, si in perpetuum etiam pro hæredibus, hæreditaria, si constituitur in bonis Ecclesiæ, dicitur Ecclesiastica, si in aliis, vocatur laica. Ecclesiastica sine solemnitatibus Canonicis concedi non potest, cum sit species alienationis; si tamen ab antiquo

2. (saltem ultrà 40. annos) sit solita dari in emphyteusin, & ab initio cum solemnitate data fuerit, eaque denuò ad Ecclesiam revertatur, potest absque novâ solemnitate (idem est de feudo) in emphyteusin dari, dummodo non cum minori Ecclesiæ utilitate; si tamen prior emphyteusis fuit limitata ad certam generationem, hæc cessante dari nequit civitati vel Universitati, quæ non moritur, sine nova causa & solemnitate; vel potentiori, qui sit difficilis conventionis; nam quamvis res semel facta alienabilis, censetur semper talis, non tamen potest alienari in pejus. *Eng. l. 3. t. 12. nu. 15. Pyrrh. ib. à. n. 45.*

QUÆR. II. Quæ sint obligationes, seu onera emphyteutæ?

3. 82. Seq. 1. Præter annum canonem debet fructu
cere omnes expensas necessarias pro collectione fructu

causam & conservatione fundi, domus, hortus, putei, &c. si per culpam latam vel levera emphyteuta res emphyteutica notabiliter deterioratur, ut minoris valeat, privari potest jure emphyteutico, & usufructus cum proprietate concedari, *Pyrrh. n. 38*

1. Si emphyteuta tribus annis continuis in emphyteusi laicâ, & duobus in emphyteusi Ecclesiastica, suâ culpâ non solvat canonem, ipso jure cadit in pœnam commissi, ita ut eum proprietarius eum per sententiam judicis expellere possit, si quis pro solutione interpellatus non fuerit, c. *de emphyt.* Excipe, nisi in emphyt. Ecclesiastica post biennium elapsum mox intra breve tempus (quod arbitrio judicis relinquitur) obligationibus emphyteuta moram purgaverit, tunc Dominus, postquam emphyteuta pœnam commissi incurrit, canonem futuri temporis acceptaverit; tunc enim caducitati renuntiasset, tuncque in futurum pro emphyteuta agnovisse videtur; aliud est, si exigat, vel recipiat pensiones lapsas; tunc enim tantum eum agnoscit emphyteutam pro tempore præterito, non autem pro presenti vel futuro, *fas. in l. 2. c. de jur. emphyt. num. 124. Barb. ad c. fin. de emphyt. num. 17. Leur. l. 3. q. 375.*

3. Emphyteuta rem emphyteuticam irrequisito Domino vendens & tradens, incurrit pœnam commissi; & res fit caduca, *dict. c. fin. si titulo gratuito, v. g. donationis, legati, dotis, &c.* res alienetur, non requiritur præviè consensus Domini, *Engel. num. 20.* sed sufficit, quòd à Domino, antequam novus emphyteuta mittatur in possessionem, petatur investitura, ac Domino solvatur laudemium, consuetumque honorarium, quod

4.

quod ex rigore juris consistit in parte quinquagesimâ; ex consuetudine penditur sæpè pars trigesima, vel etiam vigesima; si hæres necessarius vel filius succedat patri, nullum debetur laudemium.

4. Emphyteusis absque consensu Domini nequidem Ecclesiæ vendi potest; potest tamen donari, legari, non quidem ut Ecclesia retineat, sed ut intrâ annum vendat, & æstimationem recipiat, *Jason num. 91*. Si Monasterium succedat loco Professi in emphyteusin vel feudum, retinere ea potest ad vitam Religiosi; illo mortuo intrâ annum vendi debent, vel impetrari consensus Domini directi, *Laym. Reiffenst. numer. 251*.

5. QUÆR. III. Quid & quoruplex sit feudum?

R. 1. Feudum est concessio rei immobilis sub onere fidelitatis & obsequii personalis exhibendi Domino directo; Is, qui concedit, vocatur feudator, seu Dominus feudi, German. *Lehen Herr*, qui accipit, vocatur feudatarius, vel vassallus, Germ. *Lehn-Mann, Lehn-Träger*.

R. 2. Feudum variè dividitur: 1. In Regale, quod confertur à Principe cum titulo dignitatis, v.g. Ducis, Comitum, Baronum, &c. & non Regale, quod nihil adfert dignitatis.

2. In Ecclesiasticum, quod ab Ecclesiâ, & in laicum, quod à laico confertur.

3. In hæreditarium, quod mitti potest ad quoscunque hæredes etiam extraneos, & in non hæreditarium seu gentilitium, German. *Stamm-Lehn*, quod ad solos liberos mitti potest.

4. In masculinum, quod ad solos masculos; in fœmininum, quod deficientibus masculis etiam ad fœminas transmittitur.

QUÆR. IV. In quibus feudum con-vel diff. conveniat cum emphyteusi?

6. In multis : Ut 1. Utrumque constituitur in re immobili & fructifera, ut agro, oppido, civitate, &c.

2. In utroque tantum transfertur dominium utile, seu usufructus manente proprietate penes Dominum.

3. Uterque emphyteuta & vasallus debet solvere laudemium, & à Domino investiri, seu mitti in possessionem, vel corporali introductione, vel traditione juris, traditione scilicet clavis, annulis, &c. idque intra annum & diem, cum hac differentia, quod emphyteuta tantum teneatur petere investitionem, quando ipse primò succedit, vasallus autem toties, quoties ipse succedit, vel novum Dominum accipit, toties etiam debet prestare homagium seu juramentum fidelitatis, & solvere laudemium.

4. Emphyteuta sub pœnâ caducitatis prohibetur sine consensu Domini tantum alienare rem emphyteuticam contractu oneroso, v. g. venditionis, permutationis, &c. item Dominus requiritur regulariter consensum dare tenetur; Econtra vasallus prohibetur feudum sine consensu Domini, qui consensum præstare nunquam obligatur, omnino non alienare, nequidem contractu gratuito, v. g. legando, donando in dotem, &c. consuetudine tamen permittitur partem feudi etiam ad longum tempus elocare.

5. Emphyteuta, si per duos aut tres annos etiam non solvens pensionem integram solvere negligat, incurrit pœnam commissi; econtra vasallus obsequium personale per se præstare non tenetur, nisi requisitus; nec ob quodvis obsequium negatum amittitur feudum, sed tantum ob cri-

men felonix & infidelitatis, ut si insidiatus fuerit vitæ, bonis, vel honori Domini.

6. Tam emphyteuta, quàm vasallus rem emphyteuticam vel feudalem alteri subemphyteuticare, vel subinfeudare potest cum consensu Domini directi, aliàs non; hic contractus vocatur libellus.

7. Emphyteuta rem emphyteuticam elocare potest infra decennium; vasallus verò rem feudalem etiam ad longum tempus, *Clarus, Jus. Pyrr. num. 44.*

8. Res emphyteutica non verò feudalis sine consensu Domini oppignorari potest; quia arctius obligatur vasallus ad rem non alienandam, vel gravandam, quàm emphyteuta; habet enim rem titulo magis gratuito.

9. Res emphyteutica vel feudalis non potest Domino invito commutari, vel in aliud converti, ager v. g. in vineam, sylvæ in agrum; quia res manet Domini, non credo autem Dominum facile fore invitum, si commutatio fiat in evidentèr melius.

10. Si ex toto res pereat, perit proprietario, nec emphyteuta tenebitur ad canonem, aut vasallus ad sua onera personalia; secùs est, si tantùm ex parte pereat.

11. Si emphyteuta magnum passus est damnum in fructibus, sive ex sterilitate, inundatione, aut incursum hostium, & annuò magnam solvat pensionem, æquum est ei fieri remissionem aliquam; quia tunc se habet ut conductor; secùs est, si damnum non sit adedò notabile, vel canon pendendus sit exiguus, *Reiffenst. à num. 156.* Plura vide apud Authores cit.

CASUS LIX.

De Sponsione & Ludo.

MÆvius ludit cum filiis familias, Religiosis. 1. Qui vel non habent licentiam, vel tantum habent licentiam exponendi tres florenos, cum tamen exponant triginta, quos erant lucrati. 3. Ludo cum damno liberorum. 4. Apponit pecuniam alteram, furtivam, vel saltem suspectam de furto. 5. Alium ludere cogit. 6. Charta folia nota, abscondit, vel ita disponit specula, ut alterius nota videre possit, fingit se imperitum. 7. Etsi sit altero multo peritior. 8. Certus, Titiam nunquam speratam esse certat cum pluribus, quod eam non habebat in uxorem, addens, se de hoc esse certum. 9. Ludit lusu prohibito. 10. Quod inde percipitur, retinet; quod verò perdit, non solvit, vel solutum reperit. 11. Imò ludit animo non solvendi vel opponendi exceptionem legis. 12. Lucrum ex lusu prohibito perceptum reddere renuit, negatque, se tali lusu lussisse. 13. Aliis in lusu blasphemare solitis colludit, & aleas subministrat Principe connivente. 14. Ludit in loco sacro, pecuniam erga preces & Missas exponit. 15. Pro Re-

QUÆR. I. Quid sit sponsio, & ludus?

R. Sponsio est contractus, quo duo vel plures de veritate alicujus rei incertæ sibi invicem aliquid spondent, ut ejus sit, qui veritatem fuerit allecutus.

R

Spon-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II.

Sponsioni affinis est ludus, qui definitur: Certamen quoddam ob animi oblectationem susceptum ea conditione, ut res ab utroque exposita victori cedat.

Certum est, hos contractus secundum se esse licitos, & spectare ad virtutem eutrapelice seu affabilitatis pro recreando animo, dummodo extrinsecus à periculo blasphemie, perjurii, rituum, furti, scandali, &c. non vitentur, & adsint sequentes conditiones:

2. Prima conditio est, ut ludens possit alienare rem, quam lusui exponit, hinc

1. Filiusfamilias ex bonis patris sine licentia saltem tacitâ ejusdem, Religiosus sine licentia Superioris non possunt pecuniam lusui exponere, ideoque nec perdere, nec lucrari. Ratio est, quod invito Domino exponerent pecuniam alienam, cujus collusor non potest fieri Dominus; ergò nec ipsi poterunt justè acquirere pecuniam collusoris, aliàs enim conditio esset inæqualis. Quod si collusor sciat, filium vel Religiosum non habere licentiam, & tamen cum iis ludat & perdat, Religiosus, & filiusfamilias non tenebitur ad restitutionem, quia scienti & volenti non fit injuria, *Tamb. Spor. t. 6. c. 6. §. 3.* Dixi, sine licentia saltem tacitâ; nam sæpè Superiores non sunt inviti, ut Religiosi ex pecuniis ad honestam v.g. recreationem concessis modicum quid in lusum, qui statum non dedecet, impendant, idem à potiori tenet in filiisfamilias, quorum patres minùs sunt inviti, præsertim si sint divites, benigni, liberales. Vide dicta *Casu 31. à num.*

3. Sed quid si Religiosus aut filiusfamilias habeat licentiam in lusu exponendi tres florenos, si cum iis lucratur triginta, an possit sine nova licentia

exponere triginta tres? *¶* Continuate eodem
 lusu potest, quia lucrum non censetur plenè
 acquisitum ante finem lusûs; lusu finito Reli-
 giosus non poterit omnes sine nova licentia expo-
 nere *Laym hic n. 6.*

2. Uxor, si non habeat bona paraphernalia vel
 alia propria, non potest plûs exponere, quàm
 maritus tacitè, vel expressè concedit; tacitè au-
 tem censetur concedere, quantum ejusdem con-
 ditionis fœminis concedi solet.

3. Maritus invitâ uxore ludens non pec-
 cat contra justitiam, sæpè tamen contra charita-
 tem, si obinde damnum notabile patiatur fami-
 lia, at tamen qui à marito lucratur, non tenetur
 ad restitutionem, quia maritus ista validè exponit,
 et licitè.

4. Qui in lusu apponit monetam adulteram, *5.*
 tenetur restituere, quod lucratur, nisi voluerit
 substituere aliam casu quo perderet.

5. Qui lucratur rem, vel pecuniam furtivam
 à fure non mixtam suæ indiscernibiliter, tenetur
 eam restituere domino; in dubio, an pecuniæ sint
 furtivæ, præsumuntur non esse, quia delicta non
 præsumuntur. Qui bonâ fide non ipsam rem,
 sed pretium rei furtivæ à fure venditæ lucratur,
 potest retinere, quia fur erat Dominus hujus pre-
 tii, *ex l. si vias 48. ff. de furtis. V. dicta Cas. 55.*
cap. 12. Si verò scienter ludat cum fure, qui
 aliunde pro furto satisfacere non potest, tenetur
 restituere non ex re acceptâ, sed ex injustâ accep-
 tione, quia per lulum est causa, quòd fur fiat
 inhabilis ad restituendum. Si bonâ fide processit,
Tamb. Spor. num. 76. La Croix l. 3. p. 2. num. 1078.
 tunc obligant ad restituendum lucrum; sed con-
 traria est; nam *1.* fatentur, furem habere verum do-
 mi-

minium pretii pro re furtivâ accepti, ergo illud validè exponit ad lulum, sicut validè exponit ad emendum triticum; aliàs enim vendens bonâ fide triticum teneretur pretium rei furtivæ restituere, etiamsi fur triticum consumpsisset, quod nemo dicit. 2. Si fur pecunias furtivas suis indiscernibiliter miscuerit, quamvis alias non habeat, validè eas exponit ludo, & collusor, qui eas bonâ fide lucratur, potest eas retinere; non enim tenetur eas restituere ex re acceptâ, quia fur erat eorum Dominus, ideòque eorum dominium alteri validè tradere potuit; neque tenetur ex injustâ acceptione, quia bonâ fide processit, ut supponitur. 3. Qui ex mutuo creditori debet 100. et si non habeat nisi decem, tamen eos validè exponit; ergo quamvis fur ex justiciâ pretium furtivum debeat Domino, si aliundè satisfacere non possit, tamen illud validè poterit alienare, quia est Dominus pretii.

6. **Conditio secunda:** Ut nemo injusto metu, vi, vel fraude cogatur ludere; qui enim injustè cogit ludere, si alter in lusu perdat, cogens probabiliter tenetur ad omne damnum, quia fuit ejus injusta causa; oppositum tamen etiam est probabile, si nempe utrimque fuit par periculum perdendi, & lucrandi: tunc enim lusus in se videtur esse justus, & damnum non tam sequi ex coactione, quàm fortunâ colludentis; hoc apud omnes indubitatum est, quòd coactus ad lulum, si quid lucretur, illud retinere possit, quia ex suâ parte nulla est injustitia, *Sanch. Less. dub. 2. n. 9. Salas dub. 6. n. 2.*

7. **Tertia conditio est:** Ut in lusu absit omnis fraus & dolus in tali lusu non permissus; ejusmodi fraus est chartas notare, abscondere, specula

taliter disponere, ut chartas alterius videas, fingere se imperitiosem, &c. hujusmodi fraudibus utens non tantum tenetur restituere lucrum, quod ipse fecit, sed etiam lucrum, quod alter absente dolo facturus fuisset pro rata scilicet spei; e contra si fraude utens perdat, poterit innocens id rata conscientiam retinere, quia ex sua parte ludus est justus; dolus autem in lusu permissus, aut potius astutia, tunc est, quando simulas te habere deteriores chartas, aut simulas metum, ut alter sponsonem augeat, vel e contra audaciam tuam sponsonem augendo facias alium a sponsonem delibere, aut si ex alterius negligentia chartas ejus videas, &c. in dubio, an dolus sit justus, standum est arbitrio viri in tali lusu periti, *Covarr. Medin. Lug. d. 31. à num. 33.* Si adversarius terret contra se in numerandis punctis, vel in accipiendo primo loco, non teneris monere, saltem si ita habeat ludi consuetudo, *Less. Sanch. l. 1. conf. c. 8. dub. 12.*

Quarta conditio est: Ut sit æquale periculum perdendi & lucrandi inter ludentes, hoc est, ut sit æqualis peritia, & exponatur æquale pretium; vel si quis sit altero peritior, debet plus pretii ponere, vel per alias faventes condiciones majorem peritiam compensare, nisi alter juri suo resignet, sicut omnes resignare, probabiliter docent *Covarr. reg. peccati §. 4. num. 6. Tolet. Nav. c. 20. num. 18. Tamb. lib. 8. rr. 2. c. 9. §. 1. num. 4.* Episo, quo sponte, hoc est, fraude vel metu non adacti ludant, sive sciant, sive non sciant alterius majorem peritiam; sibi enim imputent, quod cum eo, cujus peritiam perspectam non habent, ludere velint. Si autem unus sit quasi certus de lucro, aut simulet se imperitum, ut

idiotam ad ludum inducat, restituere tenetur lucrum, quia talis ludus est injustus; in ludo enim erga periculum perdendi emitur spes lucrandi: si ergo spes lucrandi sit quasi certa, nullum erit perdendi periculum, ideòque aperta inæqualitas in lusu. Idem probabilius tenet de sponfione, ut certus de eventu non possit sponfionem lucrari, nisi fortè alter dicat se esse certum; tunc enim *Cov. Nav. Dian. Lopetz. Sarsob. dub. 13. num. 9.* dicunt, alterum resignare juri suo; sed & in hoc probabilius contradicunt *Filliut. Molin. Lug. num. 81. La Croix num. 1068.* quia alter putat tibi id non esse satis legerium, & emis spem lucrandi erga periculum perdendi, quod tamen non adest, sicut si alter à te emat vitrum pro gemmâ, etsi dicas esse vitrum, non tamen potes accipere pretium gemmæ, sed vitri, neque alter resignat juri suo; quia si certò crederet esse vitrum, non daret pretium gemmæ; ergo dat invitus.

Ex dictis pro ulteriori resolutione Casus deduces sequentia: 1. Mævius certus de non futuro matrimonio Cajæ cum Titio non potest certare, quia non est æquale periculum perdendi, & lucrandi; si tamen tres, vel plures haberent spem probabilem sibi desponsandi Cajam, potest cum quolibet seorsim certare, quamvis certus sit, quòd cum uno tantùm possit perdere, à cæteris autem certò sit lucraturus. Ratio est, quòd nemini faciat injuriam, quilibet enim seorsim habet spem probabilem perdendi & lucrandi, *Sanch. Lug. n. 87.*

2. Omnes lusus, qui magis fortunâ, quam industria reguntur, ut alearum & similes, tam Jure Canonico, quam civili sunt prohibiti; la-

si tamen has leges non observantes non videntur peccare mortaliter, quia quoad ipsos ejusmodi leges non sunt in tanto rigore receptæ, *Sanch. Less. c. 26. dub. 1. Tamb. l. c. Lug. à num. 9.* Econtrà arctiùs ad non ludendum obligatur Clerici & Religiosi, per *Trid. Sess. 22. de Refor.* Non tamen statim damnandi sunt mortalis, nisi frequenter, nimis sumptuosè, aut publicè cum scandalo populi, aut gravi statùs sui indecentiâ ludant.

1. Qui aliquid lucratur lusu prohibito, tutâ conscientiâ id retinere potest, quia jura non invalidant contractum, sed tantùm præcipiunt, restitutionem fieri post sententiam Judicis, *Banner, Soto, Less. d. 3.* Econtrà qui lusit ad creaturam, & perdidit, potest se tueri exceptione legis prohibentis, *Less. Nav. Lug. num. 70.* Si juraverit se soluturum; tunc enim contractus firmatur, obligatque jure naturæ, & civili. Si autem mineris eum convenire coram judice, & aliter aliquid det, ne in judicio repetas, id justè timere potes, quia reverà habes jus repetendi, nisi juri cedis, quod est pretio æstimabile, *Spor. num. 82.*

4. Qui ludit animo nunquam solvendi, si quid lucratur, restituere debet, quia decipit in materia substantiali, nisi alter hoc sciat, aut etiam habeat animum non solvendi, tunc enim injuria per injuriam compensatur. Si ludo prohibito ludas animo quidem te obligandi, sed opponendi exceptionem legis alearum, vel solutum repetendi, ludus est justus, quia habes animum utendi re tuo, quod & alter facere potest, & voluntas implendi contractum non est de essentiâ contractus, *Lopez, Victoria. Sanch. dub. 5.*

13. §. Si lucrum ex lusu prohibito perceptum à te
reperatur, & tu coram iudice negeste esse lucre-
tum, vel lusu prohibito luisse, teneris nihilomi-
nùs restituere, quia fraude, seu mendacio impe-
dis, quò minùs alter per sententiam iudicis reci-
piat, quod justè perit; si tamen alter nec sen-
plenam habet probationem, non teneris taceri,
nec quidquam restituere; quia tunc mendacium
non impedit sententiam iudicis, sed defectus pro-
bationum, *Molin. d. § 14. Dian. R. num. 27.*
14. 6. Qualiter peccent, qui taxillos, charisfo-
lia, & similia instrumenta absque gravi causà
subministrant ad lusus, ex quibus prævideantur
blasphemix, perjurix, rixæ, fraudes, dilapida-
tiones, dixi *Cas. 20. a num. 9.* Unde à potiori
constat, peccare mortaliter eos, qui blasphema-
re vel pejerare solitis colludunt; imò *Tamb. &*
alii dicunt, non tantùm collusores, sed & in-
strumenta præbentes in defectu ludentium tene-
ri ad restitutionem, si fraudes vel alix injustitix
ibidem contingant. Idem tenet de Principe
absque gravi causà lusus noxios permittente. Si
dicas: Princeps licitè potest permittere domos
publicas meretricibus, imò tali casu licitum erit
etiam privato ejusmodi domos meretricibus elo-
care: ergo & permittere potest domos publicas
lusoribus, quamvis in iis sciantur fieri plura pec-
cata. *2. Tamb. sup. num. § 1. N. C.* Facilius
homines se temperare possunt à lusu, quàm à
carnis voluptatibus, & majora mala reipublice
tenentur, si prohibeatur meretricium, quàm si
domus lusoria: ergo major est ratio hoc, quàm
illud permittendi.
15. 7. Ludere in Ecclesià lusum ibi specialiter
non prohibitum, est tantùm veniale: exponere

spiritualia ad lufum eâ v. g. conditione, ut victus
teneatur orare quinquies Pater & Ave, audire
vel legere Missam pro defunctis, juxta *Lopez*
est mortale, consentit *Lug. num. 5.* Si alter ex-
ponat aliquid temporale, v. g. stipendium soli-
um vel etiam plus, alter verò Missam, quia pu-
tatur tunc esse periculum simoniæ, sed id meliùs
argant *Rodrig. Steph. Dian. r. 41. apud La Croix*
num. 1096. Nam non ideo res spiritualis æ-
quiparatur temporali, sicut non æquiparatur,
si Missa legatur pro stipendio; sed offertur
in pretio rei spiritualis loco temporalis alioquin
videnda.

C A S U S L X.

De Contractu societatis, Assicura-
tione, Fidejussione, Pignore,
Hypothecâ.

Nenius dat *Cajo* suas pecunias pro communi
lucro ad *Negotiationem*, assicurato capita-
lem vaccas cum obligatione de qualibet an-
ni dandi vitulum servato numero integro. 1.
Solata societate negotiator ob impensam frustra
operam aliquid de sorte retinet. 2. Fidejubet
pro pretium, etsi non sit periculum, ex post cre-
ditori aliquid offert, ut se à fidejussione liberet.
3. 4. Antè sententiam solvere renuit, eò quòd
vires, inter quos mulier, Prelatus, Religiosus,
&c. fidejusserint, & debitor impetrârit proroga-
tionem, vel sua bona dilapidare incipiat. 5.

R 5

Mer-

Merces Caji affecurat, quas ex privatis litteris jam novit esse extra periculum. 6. 7. Affecurat mille, cum ipse tantum habeat 500. 8. Pignora & hypothecas alienat, aliis oppignorat. 9. 10. Et quia debitor est in mora solvendi, pignus vendit, vel sibi emit, etsi id non facere promiserit. 11. Fructus pignoris percipit, & pignus habet à Pralato absque consensu Caputuli. 12. Pro Resol.

QUÆR. I. Quid sit societas, & quæ ad eam conditiones requirantur?

- I. *Æ.* Societas est contractus, quo aliqui ad negotiationem & commune lucrum conferunt rem ad lucrandum idoneam, v.g. pecuniam, mercem, operam, animalia, &c. hic contractus est iustus & licitus, dummodò adsint sequentes conditiones:

1. Ut negotiatio, ad quam societas instituitur, sit honesta.

2. Ut communia sint lucra, damna & expensæ pro bono societatis factæ, ita tamen, ut plus lucri percipiat, qui plus pecuniæ, vel operæ contulerit.

3. Ut res vel capitale collatum maneat sub dominio & periculo conferentis, ita ut si casu & sine alterius culpâ pereat, pereat conferenti, & in hoc præcipuè societas distinguitur à mutuo, in quo res mutuata transit in dominium mutuatarii, cui proinde etiam res perit, *S. Th. 2. 2. q. 78. a. 2. ad 5.* Possunt tamen societati contractus affectionis, & similes adjungi, v.g. do 1000. florenos ad negotiationem, ex quâ sperare possum circiter 200. in lucrum, ut mihi capitale affecures, remitto tibi spem lucri in 100. ut iterum affecures certum lucrum, v.g. 5. in 100. denuò remitto

hæc affecuratio non est usuraria, sed iusta, dummodo verè societatem exerceas, & dominus penes te remaneat, altèrque non suo tantùm, sed & tuo nomine negotietur negotiatione lucrativa, aliàs enim erit verum mutuum, & usura imputata; quòd autem majores fructus ex negotiatione sperantur, pericula verò, & expensæ sunt minima, eò plus lucri, v. g. 7. vel etiam 8. in 100. peti possunt. Econtrà si fructus negotiationis sit minimus, expensæ autem & pericula graviora, minima, v. g. tantùm duo vel tria in 100. peti debent, præ estimationem prudentium, *Nav. Laym hic ad num. 2.* Hinc patet, licitum posse esse contractum, quo rustico ad pascua do 10. v. g. vaccæ, eà conditione, ut numerum integrum servet, & de quâlibet vaccâ annuò det vitulum, ipse vero lac & stercorations sibi retineat. Idem est in grege ovium vel gallinarum, dummodo rustici expensæ, industriæ, & pericula per lac vaccarum, aut lanam ovium ad æqualitatem compensentur.

4. Si societas finiatur, cuiuslibet sua fors est reddenda, etiamsi nullum adsit lucrum, nec proprie, qui suam operam contulit, & quasi gratis credidit, de sociorum sorte aliquid retinere potest; quia si pecunia periisset, periisset suo domino: ergo similiter opera sua domino perit. Hoc obstat, quòd opera fortè plus valuerit, quàm pecuniæ, nam tunc quidem operam collocauti plus lucri debebatur, non tamen aliquid de sorte sociorum. Econtrà si pecunia ab altero collocata plus valeat, quàm tua opera, plus quidem lucro peti potest, à te tamen nihil, præter operam, quam contulisti, ita ferè *Laym. de Tamb. l. 9. t. 8. Sporer t. 6. c. 6. à num. 50.*

Lug.

Lug. d. 30. La Croix à num. 1097. Viva. op. 4. 3.

a. 3.

QUÆR. II. Quid circa Fidejussionem?

3. **1.** Sequent. **1.** Fidejussio est contractus, quo aliquis suscipit in se alienum debitum solvendum in defectu principalis; dico, in defectu principalis, quia fidejussor regulariter conveniri non potest, nisi, excusso prius principali, constet, eum non esse solvendo; dico: regulariter, nam si principalis notoriè non sit solvendo, aut ejus excussio ob absentiam, vel aliam causam esset impossibilis, tunc fidejussor primò excuti potest. *Mynsing. cent. 2. observ. 15. Eng. l. 3. c. 22. num. 9.* Hæc obligatio etiam transit ad hæredes, *l. 24. C. de fidej.*

2. Si fidejussor solverit pro principali, tenetur hic ei solutum refundere unà cum expensis vel damnis, si quæ passus est ex morâ, vel culpâ debitoris principalis.

4. **3.** Fidejussor potest aliquid accipere pro fidejussione, uti certum est, si adsit periculum, vel molestia; si verò absit omne periculum, adhuc modicum quid accipi posse arbitrio prudentis, docet *Sotus, Azor,* alique apud *P. Navar. l. 3. c. 2. num. 247. Sponer num. 82. La Croix num. 390.* quia ejusmodi obligationem in se suscipere, est de se pretio æstimabile, sicut obligatio mutuandi in futuro, ut habet communis, & obligatio ad solvendum in defectu alterius est reverà obligatio ad dandum virtualiter mutuum in futuro, ergo: similiter creditor aliquid accipere potest, ut fidejussorem à suâ obligatione liberet, *Molin. Sà. Rebell. Dicast. l. 2. t. 16. d. 1. num. 28.*

4. Fidejussor ad plus non obligatur, quam principalis, & cessante obligatione principalis, cessat obligatio fidejussoris, quæ solùm accessoria est; hoc tamen non obstante posset fidejussor in titulo se magis obligare, quam obligatus fuerit principalis, v. g. addendo juramentum, vel constituendo hypothecam, &c.

5. Fidejussor in defectu principalis tenetur etiam solvere ante sententiam judicis; nam ipsum naturæ in conscientia obligat ad fidem interpositam & acceptatam servandam, *P. Nav. Disput. num. 17.* Oppositum tamen est probabiliter; quia in ejusmodi contractibus quilibet se tenet obligare juxta usum receptum, & communem; sed communis usus videtur invaluisse, si fidejussor non solvat nisi sententiatus à judice: *Idem ibi.* Igitur attendenda est locorum consuetudo.

6. Si plures pro eodem debito fidejusserint, singuli tenentur in solidum, ita ut etiam unus, si ceteri non sint solvendo, excuti possit; si omnes solvendo, quilibet contra creditorem excipere potest, ne solus conveniatur; si unus solus fuerit coactus solvere à creditore, potest petere regressum contra alios, ut & ipsi suam partem contribuant, §. 2. *si plures Instit. de fidej. Reiffenst. l. 1. §. 1. n. 48.*

7. Si fidejusseris ad certum tempus, ad annum, vel longius, & principalis impetret temporis prorogationem, liber es à fidejussione, secus, si fidejusseris indefinitè, *Gomez. Azor. Dicast. n. 14.* Si debitor bona sua dilapidare incipiat, fidejussor iudice liberationem petere poterit, *Reiffenstul. l. 1. §. 1. n. 67.*

8. Mu-

8. Mulier non obligatur ex fidejussione nequidem in conscientia, nisi instrumentum publicum intervenerit; imò & tunc se tueri posset exceptione S. C. Vellej. *Hannol. Eng. n. 7.* Nisi fidejussor sit in suam utilitatem, vel juramento confirmaverit fidejussorem, &c. Fidejussio Religiosi vel etiam Prælati sine consensu Capituli de bonis Ecclesiæ facta non obligat Ecclesiam, c. 4. *de fidej.* privatque Prælatum ipso jure administratione, tam temporalium, quàm spiritualium, c. 2. *de solut.*

QUÆR. III. Quid sit assecuratio, & quæ conditiones ad eam requirantur?

6. *sz.* Assecuratio est contractus, quo quis gratis vel erga pretium suscipit in se periculum rei alienæ, obligando se ad ejus compensationem, si pereat; v. g. si dederis mihi 1000. assecuro, quòd merces tuæ salvæ sint adventuræ, & si perierint, earum valorem tibi reddam. Distinguitur assecuratio à fidejussione, quòd hæc solum in debitis locum habeat, obligetque tantum accessorie seu in defectu principalis; assecuratio autem est obligatio principalis; hinc si non nudè fidejussisti, sed simul assecurasti, quòd v. g. Cajus debitum soluturus sit, tu teneberis, etiamsi Cajus per impotentiam, aut aliter à debito excusetur. Contractus assecurationis est omninò justus, dummodo adsint sequentia:
7. 1. Æqualitas inter pretium, & periculum rei assecurandæ; hinc si per privatas litteras certò scias, nullum adesse periculum, eò quòd merces jam sint in tuto, aut viæ à latronibus, pyratibus, &c. sint liberæ, nec assecurare, minime aliquid exigere potes, *Salon. Azor. Dicast. num. 78. cont. Less.* Ratio est: solus titulus aliquid ex-

exigendi est periculum rei alienæ, quod assecuratus in se suscipit; si ergo nullum est periculum, nihil justè exigi potest.

2. Assecurator debet admoneri de periculis, nisi illa jam nota sint, ut his consideratis delibet, an velit, an non velit assecurare; quòd magis est periculum, eò plus assecurans petere poterit.

3. Si res jam certò sciatur periùsse, non poterit assecurari; quia assecuratio verè est contractus periculi, in quo debet esse utrimque periculum periculi & lucrandi, quod cessat, si res jam certò constat periùsse.

4. Assecurator debet tantum habere in re, vel in se, ut totam rem assecuratam casu, quo pereat, solvere possit; quia in hoc consistit substantia hujus contractus; si res assecurata valet 1000. & assecurator habeat tantum 500. *Bannes, Salon. Spor. l. 98.* dicunt totum contractum esse invalidum, & assecurantem nequidem medium pretium retinere posse, eò quòd sit dolus quòdam substantiam contractus; sed verius est, quòd tantum deceptio quòdam medietatem substantiæ; adeòque sicut ipse assecurans, si merces periùssent, deberet solvere 500. quos habet, sic & medium pretium retinere poterit. *Prob. à pari, si in ludo quinquante tantum restituere teneor, quia quòd alia quinque ludus erat justus, & par periculum perdendi & lucrandi, *Rebell. l. 16. q. 11.**

QUÆR. IV. Quid sit pignus & hypotheca, & quæ eorum effectus?

1. Pignus vel hypotheca est contractus, quo alicui traditur, vel obligatur in securitatem de-

debiti; si res illa est mobilis, propriè vocatur pignus, si immobilis, hypotheca; duplex autem est hypotheca, particularis una, quâ certa aliqua res obligatur, altera generalis, quâ omnia bona tam præsentia quàm futura obligantur. Item pignus aliud vocatur conventionale, quod partium consensu, aliud prætorium, quod à iudice, aliud tacitum, seu legitimum, quod à Legibus constituitur; sic pupillus & minorennis tutam habent hypothecam in omnia bona tutorum & curatorum pro debita administratione, item uxor pro assècuratione dotis in omnia bona mariti, &c, Effectus pignoris & hypothecæ sunt sequentes:

10. 1. Creditor hypothecarius præfertur non hypothecariis; si plures hypothecam habeant, præferendus est ille, qui habet privilegiatam, qualem in bona mariti ratione dotis habet uxor; si nullus habet privilegiatam, præfertur, qui prior est tempore, ut dixi *Cas. 46. à n. 4.*
2. Res oppignorata quamvis à Domino alienetur, manet sub pignore; si deterioratur, vel ex parte destruitur, v. g. domus exurit, id, quod remanet, nempe solum, vel fundus rationem pignoris retinet.
3. Res eadem oppignorari potest pro debitis pluribus, dummodo us solvendis sufficiat, imò rem tibi oppignoratam alteri pro simili debito oppignorare potes; hoc enim aliud non est, quam jus tuum cedere alteri, quod licitum est, *l. i. C. si pignus.*
11. 4. Si debitor elapso termino semel monitus intra biennium non solvat, potest pignus vendi, quod tamen superat debitum, debitori reddendum est; si pactus es non distrahere pignus, ad-

huc distrahere poteris, sed biennio & trinâ interpellatione opus erit, l. 4. ff. de pign. act. Ratio est, quod potestas distrahendi pignus sit de naturâ pignoris; quomodo enim per pignus affecuraretur debitum, si altero solvere nolente pignus distrahi non posset? Si ipse creditor pignus emat, vel distrahat contra LL. distractio est irrita, l. 4. C. si vendito. Reiffenst. à n. 76. quamvis Spor. à. n. 119. dicat, ejusmodi Juris subtilitatibus opus non esse in foro conscientia, sed rem etiam ante elapsum biennium monito debitore justo pretio vendi posse.

5. Periculum, expensæ, & fructus pignoris pertinent ad ejus dominum; si accipis rem oppignoratam cum jure percipiendi ejus fructus, hic contractus vocatur antichrifeus; & quamvis à Jure civili toleretur, reprobatur tamen à Jure Canonico tanquam usurarius; possunt equidem ad titulum excusantes, ut si verè intendas emere fructus illos in censum annum, & illi non excedant pensionem aliàs debitam; aut si rem oppignoratam cum pacto retrovendendi; tunc enim sicut fructus rei, ita & fructuum; quo casu periculum expensæ rei ad te pertinebunt, &c. 6. Prælati non possunt bona Ecclesiæ, alienari prohibita, specialiter hypothecare absque consensu Capituli; possunt tamen generaliter non in utilitatem propriam, sed Ecclesiæ, & ejusmodi debita tenetur ejus successor solvere, ut patet ex c. 3. de pign.

Covarr. Pyrr. l. 3. tit. 31. num. 17.

Reiffenst. à num. 34.

S

CA-

R. D. Jansen Theol. Moral. Tom. II.

CASUS LXI.

De Testamentis, & ultimis voluntatibus.

ONefius circa ultimas voluntates varia habet dubia; 1. An corrumpente testamento corrumpantur legata, donationes mortis causâ. 2. Quae sollemnitates requirantur ad testamentum profanum. 3. Ad testamentum ad causas pias, & speciatim in Dioc. Colon. 4. Ad testamentum inter liberos, ad testamentum militum, rusticorum, aut factum tempore pestis, vel Principi oblatum. 5. Quid si quis iuret non revocare testamentum, vel jurato renunciet hereditati. 6. An succedens ex testamento non sollemni teneatur solvere legata. 7. Quid si Caja succedat eâ conditione, ut si improlis discesserit, hereditatem relinquat Titio, ipsa autem ingrediatur Religionem. 8. Quid si testator dicat: Si Caja nubat, habeat 200. si verò Religiosa fiat, habeat tantum 100. vel nihil. 9. Quid si eâ conditione quid legetur Titio, ut ducat Cajam, Titius autem suscipiat S. Ordines, aut si aliquid legetur sub causâ, modo, vel demonstratione falsâ, ib. remissivè. 10. An legata ad causas pias in genere, vel pauperibus indeterminate relicta dari possint Monasterio; item si legata omnia solvi nequeant, an etiam legata pia minuenda sint pronatâ. 11. Quid si duo homines sint ejusdem nominis, & sciri non possit, de quo testator locutus sit. 12. Quid de legato rei aliena. 13. Quando legatarius acquirat dominium, & fructus legati. 14. Quid debeatur heredibus necessarius, & an praeter

15. Quid si parentes uni proli plus relinquunt,
quam alteri, § quid hic observandum Confessariis.
16. Quid si testator Caja destinaverit dare Crucem
viream, sed ante ejus traditionem moriatur. 17.
An hæres ex legatis sibi detrahere possit quartam par-
tem. 18. Quid de testamentis § donationibus ante
mortem Novitacui factis. Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit ultima voluntas, testa-
mentum, legatum, fideicommissum, condi-
cillus?

1. Ultima voluntas ex Ulpiano definitur: Ju-
ris voluntatis sententia de eo, quod quis post
mortem fieri vult; si fiat cum hæredis institutione,
vocatur testamentum; in quantum continet do-
nationem ab hærede post mortem Testatoris præ-
stendam, vocatur Legatum; & ille, cui fit ejus-
modi donatio, vocatur Legatarius; si hæredi im-
ponatur, ut hæreditatem absolutè aut sub condi-
tione, v. g. si ei non nascatur proles, restituat al-
ter, dicitur Fideicommissum vel generale, si sci-
entiam restituenda est tota hæreditas, vel particulare,
in quantum aliqua ejus pars, & eatenus coincidit cum
legato. Dispositio, quæ testamentum corrigitur,
si declaratur, aut etiam sine testamento hæredi
inter testato legatum, fideicommissum, vel aliud
committitur, vocatur Codicillus. Ab his
omnibus differt donatio mortis causâ, quæ firma-
tur solâ morte donantis, nec ullatenus pender à
voluntate testamenti; econtrâ Legatum, Fideicom-
missum sunt accessorium testamenti, & illo corru-
ente corruunt; hoc excepto, quod corruente ex
defectu solemnitatum testamento profano proba-
tus non corruant legata pia, Covarr. Eng. l. 3.
n. 26. n. 20. § ibid. Pyrrh. Reiff. n. 173.

S 2

QUÆR.

QUÆR. II. Quotuplex sit Testamentum ?

2. R. Testamentum dividitur : 1. In solemne, & non solemne; solemne vocatur, quod habet omnes solemnitates, seu condiciones à jure requisitas, quales de Jure Cæsareo sunt, ut testator coram septem testibus masculis, puberibus, liberis, ad id rogatis, distinctis ab ipso hærede, non surdis, non mutis, mentem suam declararet, vel in scripto ab ipso testatore & omnibus testibus subscribendo, ac consignando, aut vocaliter coram dictis testibus suam voluntatem exprimat; primum testamentum vocatur scriptum seu clausum; secundum vocatur nuncupativum.
3. 2. Testamentum dividitur in privilegiatum, & non privilegiatum; Privilegiatum est, quod non requirit omnes juris solemnitates; tale est 1. testamentum ad causas pias, in quo nullæ solemnitates requiruntur, sed sufficit, quod vel per testes, vel per nutus, aut scripturam de voluntate testatoris certò constet, *Barth. Clarus, Pyr. num. 19. & claret ex c. relatum 11. de testam.* uni enim testi etiam probatissimo, v. g. Parocho, nequidem in foro conscientiæ necessariò credendum est; sed Jure Canon. requiruntur & sufficiunt duo vel tres testes: in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, *c. cum esses 10. de testam.* ideòque Archi-Diœc. Colon. In Synodo habita Anno 1662. *part. 2. pag 116.* declarat, quòd testamenta Ecclesiasticorum facta sine Notario vel Pastore & duobus testibus sint invalida; quamvis admittant legata pia tantum scripta, vel subscripta à testatore valere. Si testator in testamento vel coram duobus testibus

testamen-
 bus afferat, quòd Confessario vel Parocho
 mandaverit aliqua erogare ad causas pias, se-
 cundum dictum Confessarii vel Parochi exe-
 cutio facienda est. *Eng. num. 10.* dicit, etiam
 in terris Imperii valere testamenta Clericorum
 cum duobus vel tribus testibus absque solem-
 nibus juris civilis; ubi enim jus Canon. &
 civile discrepant, Clerici non subjacent legi-
 scivilibus, sed Canonicis; intellige tamen hæc
 mandatum dicta *c. 24. num. 15.* 2. Testamen- 4.
 tum inter liberos valet, si pater totum testa-
 mentum manu propriâ scribat, nomina libe-
 rorum & tempus facti testamenti, ac signa
 eorum specialium declaret, *Nov. 107. c. 1.*
 si nullus testis, vel alia solemnitas adhi-
 betur.

3. In testamento militum duo, in testamento
 clericorum, si plures haberi non possint, quin-
 que testes sufficiunt, sive testamentum sit scriptum,
 sive nuncupativum, *l. fin. c. de testam. Carpzov.*
sig. de test. n. 8.

4. Testamentum tempore pestis ex paritate
 rationis valet cum duobus testibus, si plures
 haberi non possint, *Myns. Jason. Gail. l. 2.*
c. 118.

5. Testamentum Principi oblatum vel co-
 actum eo factum valet absque omni solemnita-
 te, dummodo probari possit, quòd sit obla-
 tum, *arg. l. omnium cod. de testam. Covarr.*
l. 1. hic n. 15.

QVÆR. III. Quid amplius notandum circa
 Testamenta?

1. Seq. 1. Testamentum ex natura suâ ante
 mortem semper est revocabile; si quis jurâisset
 non revocare, peccat quidem revocando, re-

vocatio tamen est valida; quia juramentum non immutat naturam actûs, qui ex se est, & manet invocabilis; similiter renunciatio vel pactum circa hæreditatem adhuc viventis in favorem tertii est invalidum, etsi fuerit juramento firmatum, quia hoc juramentum est contra bonos mores & in præjudicium tertii; quia inducit votum capiendi mortem alterius, *l. fin. C. de pactis Sanch. in Decal. l. 7 c. 2. num. 33.* Unde si filia accipiens dotem dicat se eâ esse contentam, & renunciare paternæ hæreditati, hoc non obstante potest postea petere complementum suæ legitimæ portionis, *l. pactum dotale, C. de collat. & c. quævis de pactis in 6.* Si verò renunciatio fiat ad causam piam, valet, etiam non requisito consensu ejus, de cujus hæreditate agitur, *Pyrrh. tit. 31 n. 90.*

6. 2. Famosissima est quæstio: An Testamentum ad causas non pias, non habens omnes solemnitates à jure requisitas, sit validum? Pro foro conscientie sufficit, quòd utraq; sententia sit probabilis, & in praxi tuta, ita ut hæres ab intestato possit judicare testamentum esse nullum, sibi que usque ad sententiam judicis bona defuncti retinere. Econtra hæres scriptus ex testamento hæreditatem tuto adire possit, quo casu tamen etiam tenebitur legata solvere, non tantùm pia, (ad quorum valorem nullæ solemnitates requiruntur) sed etiam profana. Nec obstat, quòd legata profana in tali testamento probabiliter sint nulla; nam eo ipso, quo in sui favorem sustinet testamentum esse validum, debet etiam stare pro valore legatorum, aliàs certò peccabit contra jus unius; vel enim valet testamentum, & sic agit contra jus legatariorum, vel

non valet, & agit contra jus hæredis ab inte-

7. Sæpè testamento vel legato adjicitur condi-

tiõ, quæ si justa est, erit observanda ex justitiã,

legatum restituendum, aut testamentum

adeundum; si sit conditio turpis, habetur

non adjectâ. Præcipuâ tamen attendenda est

voluntas testatoris; unde valet testamentum sub

clausulâ: Si Caja improlis decesserit, relin-

quet hæreditatem Titio; quo casu si Caja profi-

teatur in Monasterio bonorum capace, succedet

Monasterium, c. 8. de probat. nam hæc præsumi-

tur esse voluntas testatoris, qui creditur potiùs vo-

luisse favere Monasterio, in quo filia proficetur,

quam extraneo; si verò constat de contrariâ testa-

toris voluntate, hæc servanda est, ut si dicat: Si

Caja filia mea religionem profiteatur, succe-

det Titius, quia præsumptio cessat, ubi ver-

etur in claris, Covarr. Sanch. c. 16. num.

Pyrrbing. num. 76. Unde etiam valet lega-

8. tum, si testator dicat: Lego Cajo ducentos flo-

renos, si nupserit, aut in sæculo remanserit; si

vero sacros Ordines, vel Religionem assumpse-

rit, centum, vel nihil, Menoch. Reiff. à num.

Leuren. l. 3. q. 98. num. 9. & Authores

alii. Nam ista conditio non est turpis, nisi fiat

in odio religionis, secùs, si fiat ex justâ causâ ad

propagationem familiæ vel stemmatis, & sic fieri

9. potest. Item valet testamentum, legatum

conditio, si Cajus nupserit Titix, si proles

non nupserit, l. cum ita & l. Titio ff. de cond.

dem. Si Cajus non nubat, sed profitea-

tur in religione bonorum capace, conditio

habetur pro non adjectâ, & legatum cedit

Monasterio, Nov. 123. c. 37. Si S. Ordines



fulcipiat, legatum retinere potest, ita tamen in Clericatu usque ad finem vitæ perseveret, de legatum ad pia opera expendat, *cu. Nov. Covar. Barb. Pyrr. à num. 74. Eng. num. 29.* de legato sub modo, causâ, aut demonstratione falsa dicitur *Casu 48.*

10. 4. Si quid sit legatum in genere ad causas piâs, vel pauperibus indeterminatè, dari potest Monasterio pauperi, *Laym. Sylv. Sanch. Pyrr. num. 109.* Si legata omnia solvi non possint, omnia legata etiam pia diminuenda sunt pro rata; etsi alii quodam legata pia contradicant, valde probabiliter putantes ea ante omnia integra solvi debere.

11. 5. Si duo homines sint ejusdem nominis, & ex circumstantiis colligi non possit, de quo testator locutus sit; plures Juris-Consulti docent, legatum non valere, & neutri dandum, sed hæredi relinquendum esse; idem est, si legatum duobus ejusdem nominis relictum uni revocetur, nec constet cui, utrique volunt esse revocatum; sed *Marlin. d. 197. Dian. to. 2. rr. 5. Miscell. R. 58.* melius dicunt, ejusmodi legatum inter utrumque esse dividendum; nam uterque habet æquale jus, & certum est; quòd testator noluerit illud manere hæredi. *Collig. ex l. qui duos 9. ff. de rebus dubiis.*

12. 6. Certum est, quòd jure civili valeat legatum rei alienæ, si testator scivit esse alienam, (cujus probatio incumbit legatario) secus, si putavit rem esse suam, seu ignoravit esse alienam, §. 4. *Instit. de Leg.* ubi ratio additur: *Forfitan enim si scivisset alienam, eam non legasset,* quæ verba indicant legem hanc fundari in præsumptione, quia cessat in proximè conjunctis, respectu hinc

potius præsumitur contrarium, putà quòd
testator si scivisset rem esse alienam, adhuc rem,
vel ejus pretium fuisset legaturus, ideò tenebitur
res rem alienam emere, vel eis tradere rei æsti-
mationem, l. 10. C. de leg. idque etiam tenere
Canon. docent Covarr. in c. filius 5. de testam.
num. 6. Fachin. l. 5. num. 38. Pyrrhinh. num. 84.
Laren. q. 707. num. 4. Prob. ex c. si Episcopus
12. q. 5. ubi legatum rei alienæ valere aperte
proponitur; accedit ratio, quòd leges civiles eti-
am juxta Canones servari debeant, nisi ab his le-
gatur correctæ.

7. Si res certa & determinata legata sit, v. g. 13.
domus, hic ager, ejus dominium acquiritur
legatario etiam ignoranti à die additæ per hære-
ditatis, sed non antè, l. si tibi 86. de le-
g. 1. si nemo 181. ff. de R. 7. Fachin. l. 1. c. 94. Hoc
dominium est revocabile, potèstque lega-
tarius adhuc repudiare legatum; post acceptatio-
nem autem redditur irrevocabile, d. l. 86. & fi-
ctione juris retrahitur dominium ad diem mor-
tis, Reiffenst. n. 680. ideòque fructus illi, qui ali-
quo modo sunt pars rei legatæ, velut lana & fœ-
cundarium, à die mortis debentur legatario, l. 20.
de leg. de aliis fructibus controvertunt DD. si
legatum non est quid determinatum, sed in ge-
nere, tunc fructus intermedii acquiruntur hæredi-
tatis in morâ solvendi, l. si quis 23. ff. de leg. Go-
mer. Barth. Molin. d. 194. num. 13. V. Leuren,
1721.

8. Hæredes alii dicuntur ex testamento, alii 14.
intestato, qui scilicet sine testamento succe-
dunt; alii vocantur hæredes necessarii, qui in
testamento præteriri non possunt, utpote filii &
nepotes & neptes, quibus ad minimum de-



betur legitima triens, seu tertia pars bonorum, æqualiter inter eos dividenda; si verò illorum sint plures, quàm quatuor, debetur medietas; & quamvis ex justa causâ in testamento expressam hæres necessarius ex hæreditari possit, non potestamen Jure Cæsareo validè præteriri; si enim nulla ejus mentio (quod præteriri dicitur) in testamento fiat, testamentum quòd hæredis institutionem nullum est, valet tamen quòd cætera; imò jus naturæ videtur exigere, ut parentes liberis indigentibus præter legitimam jure civili debitam tantum relinquunt, quantum ad honestam eorum sustentationem est necessarium; idem à fortiori tenet in liberis respectu parentum.

15. 9. Peccant parentes contra charitatem, si sine justa causâ uni filio vel nepoti plus relinquunt quàm alteri. Dixi: *sine justâ causâ*, qualis esset, si unus esset magis probus, magis de testatore meritis, si plùs indigeat, si sit pupillus nondum qualificatus, &c. tunc enim tali plus relinqui posset. Caveant Confessarii, ne cum præjudicio prolium indigentium in suû vel Ecclesiæ favorem pia legata extorqueant; suadeant potius, ut memores animæ suæ adhuc in vivis peccata elemosynis redimant, quia hoc Deo est gratius; in morte enim dant quasi coacti, quod retinere amplius non possunt, & post mortem hæredes legata sibi demandata infideliter sæpè exquantur.

16. 10. Si Cajus filiæ à se specialiter meritæ destinaverat dare suppellectilem argenteam, eamque jam ex parte fieri curaverat, sed ante actualem traditionem moriatur, multi sustinent suppellectilem deberi filiæ, quia satis constat de voluntate donantis, estque donatio virtualis; probabilius tamen est

propositum, quia donatio perficitur traditione,
 talis hic nulla fuit, ut *lupp. La Croix l. 3. p. 2.*

11. Hæres sicut succedit in omnia jura & com- 17.
 moda defuncti, ita & in onera seu debita realia,

tum hoc tamen privilegio, ut si inventarium fe-
 cerit, non teneatur ultra vires hæreditatis; imò
 debetis expensis funeris, aliisque debitis debetur
 ex *Lege Falcidia* quartâ pars hæreditatis, & si
 non habere non possit, ex legatis (intellige non
 debitis) tantundem subtrahere potest. *Less. Sylv. Di-*
g. l. 2. t. 19. d. 3. à n. 56

12. Trident. sess. 25. c. 16. de Regul. statuit, 18.
 omnes donationes & renuntiationes etiam juratas

Novitiorum esse invalidas, nisi fiant duobus men-
 tis ante Professionem, & cum licentiâ Episcopi
 vel ejus Vicarii; hæc tamen constitutio se non ex-
 tendit ad contractus onerosos venditionis, per-
 mutationis, locationis; quia in his Novitius tan-
 tum accipit, quantum dat, neque à regressu im-
 peditur, *Laym. Sanch. Hyac. Don. to. 2. tr. 7. q.*

num. 5. Pyrb. num. 87. Deinde se non ex-
 tendit ad testamenta Novitiorum, aut donatio-
 nes mortis causâ; quia cum hæ firmæ non sint,
 nisi secutâ Professione, non obstant, quò minùs
 Novitii liberè ad sæculum regredi possint, quod
 Trident. præcavere voluit. Item se non exten-
 dit ad renuntiationes & donationes factas ante in-
 tentionem, *Sanch. Laym. Pyrb. num. 80.* nisi fa-

ctæ sint intuitu ingressûs; tunc enim comprehen-
 duntur Decreto Trident. & sunt invalidæ, *Barb.*
Less. Pyrb. l. c. Krimer l. 3. q. 31. num. 1723. Reiff.
num. 143. & num. 149. ubi adducit plures decla-
 rationes S. Congreg. Ratio est, quia per ejus-
 modi donationes non minùs impeditur libertas re-
 gre-

grediendi, quàm impediatur per donationes in Novitiatu factas, quod impedire voluit Trid. vi. de tamen *Schmalzgr. l. 3. t. 31. num. 129.* ubi cum multis docet contrarium; dicitque multoties à Rotâ decisum, Novitius testans in ipso Novitiatu non tenetur servare solemnitates juris civilis, sed potest se conformare Juri Can. de cuius foro jam effectus est; secus, si ante Novitiatum testetur; nisi testetur ad causas pias, *Eng. n. 32.* An Clerici sæculares de bonis Ecclesiasticis testari possint, dixi *Cas. 24. n. 15.*

C A S U S LXII.

Ex Tractatu de Judiciis.

Publius Judex causas retardat, & ignorans injustas fert sententias. 1. In dubiis & probabilitibus sententiatur pro amico. 2. Munera accipit. 3. In quavis causâ advocatum agit. 4. Et pluribus subservit, quàm tueri possit. 5. Audio crimine inquiri in Cajum. 6. Et cum nec Fiscus nec alii accusent. 7. Testes etiam occulta crimina, & ea, quæ sub secreto habent. 8. Et omnia, quæ credunt esse vera, et si ipse sciat esse falsa, edicere cogit, qui falsò dicta non revocant. 9. Reus super crimine interrogatus primùm jurato negat. 10. Ex post promissa impunitate fatetur. 11. Complices occultos prodit, accusatores de veris & falsis criminibus accusat. 12. Ad declinanda tormenta fatetur crimen à se non commissum vel planè occultum. 13. Contra satellites se defendit, carcerem amicis judicantibus & juvantibus effringit, ad triremes condemnatus fugit. 14. Pro Relol.

QUÆR.